FRANCISCI GOMARI
Viri clarissimi
THEOLOGI SUMMI
Disputatio Theologica
De
DIVINÆ PRÆDESTINATIONIS HOMINUM
OBIECTO.
Cum necessaria & modesta pro eodem
APOLOGIA.



AMSTERODAMI,
Apud JOANNEM JANSSONIUM.
cIↄ Iↄc L.

Continentur hoc libello.

I. Disputatio de Objecto Prædestinationis.

II. Apologia pro Fr. Gomaro trimembris.

Cujus prima pars, est ipsius Gomari, exhibens ejus *ultima verba*.

Secunda, est doctissimorum virorum, continens eorum *Epistolas*, & *Testimonia*, super hac controversia.

Tertia, est responsio ad eam *Apologiæ pro Synodo Dord. partem*, ubi Fr. Gomari errores aut Paradoxa notantur.

Nobilissimo, Amplissimo, Prudentissimoque Viro,

D. PETRO EISSINGHE,

Reip. Groninganæ Consuli Seniori, & impræsentiarum in illustri Præpotentum Ordinum Generalium Consessu, Deputato Ordinario.



VEnit ad Te, magne Mecœnas, & jure Tuo, sponteque sua venit hoc opusculum, quod à Gomaro partim est, & pro Gomaro. Ut enim vivus Te & mortuus, quum Opera

 ipsius

ipſius, vitâ digniſſima, lucem expeterent, bonis doctiſque, quamplurimis συνωδίνουσι, expertus eſt: ita nunc, quum de fama illius atque exiſtimatione agitur, eundem Patronum deſiderat. Abſq; Te fuiſſet, Opera fortè cum auctore ſepulta forent. Illa Opera, quorum pretium cum ætate, fruſtra obnitentibus adverſariis, creſcit. Sed ut ſumma ſemper livor petit:

tit: ita hoc nunc agitur, & aliquot annis actum est, ut Gomarus, Synodi Dordracenæ adversarius (quod quam ægrè illi paulò ante vitæ finem fuerit, Tu nobiscum omnium optimè nosti) & in quibusdam non levis momenti doctrinæ capitibus minus Orthodoxus aut Paradoxus habeatur. Huic accusationi contrà ire est animus. quod & rei veritas & di-

ſcipulorum pietas à nobis flagitat, & fides præceptori data: cujus Tu, *Magnifice Domine*, teſtis nobis locupletiſſimus. Lites non ſerimus: certè hoc non agimus. Satis, proh dolor! ſatis controverſiarum, etiam inter ipſos Eccleſiæ Reformatæ Theologos, eſt. quorum συῤῥάξεσι, non minus nunc, quàm hoſtium inſultibus laceratur Eccleſia.

Ni-

Nimium altercando veritas amittitur.

At bonæ famæ, defunctorum maximè, patrocinium, innoxium eſt & culpâ caret. Hoc nòs Orthodoxo Theologo, optimo præceptori, Viro pio & inculpato, eique defuncto, qui pro ſe ipſe loqui non potéſt, hic paramus. Tu Te, *Ampliſſime Domine*, τῷ μακαρείτῃ, huic opuſculo, nobis etiam patronum

præſta. Hoc Te flagitant beati illius manes: hoc Te rogant ſupplicantque

Nobiliſſ. Amplitudini Tuæ

cIↄ Iↄc L.
Cal. Decemb.

devotiſſimi

Johannes Vereem.
Adolphus Sibelius.
Martinus Ubbenius.

Can-

Candido, Veritatis & nominis Gomariani, ſtudioſo Lectori.

Si tua cum noſtris valuiſſent vota preceſque
Non foret ambiguus ſacri certaminis hæres:
Ipſe ſuam cauſam magnus defenderet autor.

LIceat nunc ita παρῳδεῖν. Nobis enim & multis nobiſcum optimè conſtat, quantæ curæ fuerit Cl. Gomaro, uti univerſæ reipub. Chriſtianæ, ſinceram ſuam & conſtantem orthodoxiam, ante ſuum, ex hac vita, deceſſum, peculiari ſcripto comprobaret. Sed aliter vi-

sum Deo Opt. Max. qui servum suum ad meliorem vitam traduxit. Nunc ad nos hoc, oneris dicemus, an honoris? devolutum. quum enim beatam sibi, sanctissimus senex ἀνάλυσιν instare præsentisceret, hæc, quæ nunc (quamvis serius) damus, serio commendavit. Fidem dedimus, eam liberamus. Supremæ magni præceptoris voluntati obsecundamus. Et Ecclesiæ Christi, in reformato Belgio, omnino interesse existumamus, ut omnibus de tanti & tam celebris Doctoris

Orthodoxia constet. Nam facilis ad dißidia & infirmorum scandalum, via, & parata, ad hostium veritatis calumniam, ansa videtur, si hæc opinio multorum animis insederit, Franciscum Gomarum, at quem virum? publicarum certè Ecclesiæ formularum & statuti ordinis longè observantißimum, in extrema demum suâ senectute, contra Synodum Dordracenam, cujus ipse pars magna fuit, cujusq; Actis, sine ulla limitatione aut tergiversatione subscripsit, disputâsse. quod quam a-

lienum

lienum sit, cuivis ex hoc libello abundè liquere poterit. Nec cujusque mortalium affectibus & vindictæ hîc velificari animus est. Soli Veritati litamus & honori Optimi præceptoris, tam præclarè de Ecclesia & nobis etiam sigillatim meriti, consultum volumus: quod pietas & animus in eum, quamvis defunctum, gratus flagitat. Neque hæc in eam partem interpretari quisquã debet, quasi Gomarum, pro canone fidei haberi velimus, à quo dissentire & contra quem disputare non liceat.

Ho-

AD LECTOREM.

Hominem fuisse scimus & errori obnoxium. at orthodoxum Theologum, etiam post obitum, quasi adversarium Synodi, cujus Decretis ipsemet calculum adjecit, publico scripto traduci: eundemque talium errorum & paradoxorum, quorum defensionem nemo sanus à Professore Theologiæ extorquere debeat, *falsò insimulari, hoc est, quod nobis, discipulis, & Operum illius editoribus non ferendum putamus.*

Bonæ res neminem scandalizant nisi malam mentem. *Vale.*

Ita

Ita evenit inter homines, maximè, quod dolendum est, in controversiis sacris, ut partes se mutuò onerent præjudiciis; quò causam suam plausibiliorem faciant.

Nihil iniquius, quàm viro bono ea affingere, quæ volueris, ut inde majorem ejus traducendi occasionem habeas.

Fr. Go-

FR. GOMARI DISPUTATIO THEOLOGICA, De DIVINÆ PRÆDESTINATIONIS HOMINUM OBIECTO.

ILlustris atque indagatione dignissima controversia est, quæ de genuino divinæ Prædestinationis hominum objecto, in Athenæis Christianis disceptari consuevit. In iis enim auditores sunt, qui (ut cum Apostolo Heb. 5.12. cum 14. loquamur) *initia eloquiorum Dei edocti adultiorum instar, cibum requirunt solidum; quod, propter habitum, sensus habeant ad discretionem boni ac mali exercitatos.* Ac propterea non alienum fore arbitramur, si gravem hanc materiam, honesto φιλομαθῶν rogatu, penitius rimari ac discutere studeamus. Quod ut clarius fieri queat, ante rem ipsam, facis instar, sequentes prælucebunt

HYPOTHESES.

1. *Omnis res objecta, decreto adjuncto, quod circa eam versatur, ordine prior est.*

2. *Omnis res futura, decreto suo, quo decernitur, ordine posterior est, utpote principio à quo dependet; ideoque prævium decreti sui objectum non est.*

3. *Omnis decreti, quo res aliqua decernitur futura, objectum est res illa, quæ possibilis, sive quæ fieri & ut futura sit, decerni potest.*

4. *Deus omniscius ac perfectissimè sapiens, uno eodemquè decreto, & media & fines eorum decrevit.*

5. *Omnis finis suis mediis intentione prior; (quia media propter finem decernuntur) executione verò posterior.*

Hisce premissis, ad rem ipsam procedemus.

THESIS I.



Quum autem de ea variæ exstent sententiæ; duas tantum hoc tempore expendendas, deligemus: quarum *una*; objectum illud esse, homines *definitè præscitos, creatos ac lapsos*; sive homines *creandos ac lapsuros: altera verò;*

rò; homines *indefinitè præscitos* seu (ut stri-ctim dicamus) *creabiles*: hoc est, qui creari ac prædestinari poterant. Ac priorem quidem (ut à piis & eruditis non paucis explicatur) facile ferimus; sed idcirco probare nequimus, quod & infirmis niti argumentis, & firmioribus confutati posse videatur. Posteriorem verò ut accuratiorem, cum aliis bonæ notæ Theologis, præferimus: ut ponderatis utrimquè rationum momentis, dignosci posse existimamus.

II. *Prioris* enim *sententiæ argumentum primum*, est à Christi testimonio Joh. 15. 19. *Ego elegi vos è mundo: propterea odit vos mundus*. Ergo objectum electionis hominum ad salutem, sunt homines definitè præsciti creati & lapsi. Negatur verò, ob homonymiæ vitium, consequentia. *Consequens* enim agit de æterna hominum ad salutem electione: antecedens verò de temporali eorum ad Christum vocatione. Quemadmodum quod 1. Cor. 1. 26. *Vocatio* dicitur, illud explicatè versu 27. 28. & Iac. 2. 5. *Electio* appellatur. Eamquè à Christo intelligi sequentia verba, *propterea odit vos mundus*, demonstrant. Hujus enim o-

dii causa esse non potuit, Apostolorum à Christo Electio æterna ad salutem (quia eam omnino ignorabant) sed quod à Christo, à mundi erroribus & moribus, in discipulos ipsius vocati: ut Joh. 15. 18. & 19. definitur.

III. *Secundum argumentum* est ex Apostolo Eph. 1.4. (Deus) *elegit nos in ipso* (id est Christo) *ante jacta mundi fundamenta, ut simus sancti.* Ergo objectum Electionis nostræ, sunt peccatores. Atque hoc utrimquè & à Lutheranis, & à Reformatis non paucis adducitur, sed expositione diversa. *Illi* enim peccatores quidem, sed Christo insitos per fidem: quam (Semipelagiano Pontificiorum errore) partim Dei gratiæ, partim libero hominum arbitrio, contribuunt: *Hi* verò peccatores tantùm intelligunt. Verùm utroquè modo consequentia vitiosa.

IV. *Illorum* quidem quod & phrasis Apostoli & res ipsa, eam confutet. *Phrasis* quia illa simpliciter est, *Elegit nos in ipso*; non autem *in ipso existentes.* Neque supplementum illud (in quo tamen tota consequentiæ vis consistit) necessarium esse probari potest. *Res ipsa* idem arguit: *primum*

mum, quia prædestinatio Christi Redemptoris, nostram electionem ordine non antecedit; sed ut medium, ad eam subordinatum, succedit. Ex amore enim salutis nostræ, Christus Redemptor destinatus ac datus Joh. 3. 16. & 1 Joh. 3. 9. *Deinde* quia fides quâ sumus in Christo medium est Electionis nostræ ad sanctitatem Eph. 2. 10. & ad salutem 2 Thess. 2. 12. & 1 Pet. 1. 9.

V. *Horum* verò consequentiam, etiam imbecillam inde apparet, quod neque ex phrasis vi, neque ex ipso expositionis modo, probari queat. Nam ut rectè Lutheranorum interpretationem ita rejiciunt; *Deus elegit nos in Christo, non existentes*: sic minus rectè (si expositio sit) hanc substituunt; *Sed ut essemus in Christo per fidem.* Etsi enim vera sit oratio, ex hisce tamen Apostoli verbis elici non potest. *Deinde*, licet verba illa, *in Christo*, idem valerent, atquè ut essemus in Christo per fidem, fluxa tamen esset consequentia. Quia electio ut essemus in Christo per fidem, non objectum illius, sed medium notaret, ad sanctitatem & salutem necessarium Ioh. 15. 4. 5. Act. 4. 12. Atquè hoc modo prima ex hoc

Pauli dicto, *in ipso*, consequentia deducta concidit.

VI. Quemadmodum etiam frustra eandem ex sequentibus, *ut simus Sancti*, firmare conantur hoc modo; Sanctificatio esse non potest nisi impuritas peccati eam praecedat: ergo ea electioni ad sanctitatem praevia. Negatur verò consequentia: quia licet impuritas nostra, finem electionis, nempe sanctificationem, ratione executionis praecedat: intentionis tamen ratione (pro universali finis natura) ordine succedit. Ideoquè Objectum illius esse non potest. *Deindè* si impuritas sit electionis ad sanctitatem, objectum; sequetur homines ad finem usquè vitae impuros, esse electionis eorum ad sanctificationem objectum: hoc autem absonum agnoscunt. Consequentia inde liquet, quia impuritas electorum (cum naturae corruptae innata, tum actionum ex ea enata) tota vita durat: ut & sanctificatio illius. Quare nequè ex verbis Apostoli, *Elegit nos in ipso*: nequè ex sequentibus, *ut simus sancti*, consequentia secundi argumenti stabilitur.

VII. At quis tandem dicti Apostolici sensus? Hic videlicet, primùm ut Christus,

non

non quà Redemptor, ſed qua Deus intelligatur: Deinde ut vox ἐν pro διὰ: *in* pro *per*, accipiatur: & quidem ut cauſam non miniſtram, ſed primam ac ſolam ſignificet. Solius enim Dei proprium eſt æterna hominum ad ſanctitatem & ſalutem electio; quemadmodum eadem phraſi *omnia* dicuntur *creata* ἐν αὐτῷ Col. 1. 16. hoc eſt δι' αὐτοῦ *per ipſum* (ut ibidem explicatur) ut pote verum cum Patre Deum.

VIII. *Tertium argumentum*, à fine Prædeſtinationis (illuſtratione miſericordiæ Dei ſervatricis in electis, & juſtitiæ vindicatricis in reprobis) eſt hujuſmodi; Id ſine quo antecedente Deus, fines illos exequi non poteſt, ordine prædeſtinationem illam præcedit: At lapſus hominum eſt id ſine quo antecedente Deus fines illos exequi non poteſt. Ergo.

Negatur Propoſitio, quia naturæ finis omnino adverſatur, quaſi idem eſſet illius, ratione executionis & intentionis, ordo. *Deinde* quia illa propoſitio totam hominis prædeſtinationem, conſequentia neceſſaria, & contradictione certa, funditus tollit. Quemadmodum, ea propoſitione præmiſſa, ſyllogiſmi hujus εἰς ἀδύνατον adigentis

tis

tis κριτήριον demonſtrat; Id ſine quo antecedente Deus, fines prædeſtinationis hominum, exſequi non poteſt, prædeſtinationem illam ordine præcedit. Aſſume: At prædeſtinatio hominum tota) tam ad fines, quàm ad media) eſt id ſine quo antecedente Deus, prædeſtinationem illam exſequi non poteſt: ergo prædeſtinatio hominum, ſeipſam totam antecedit. Αδύνατον.

IX. *Quartum argumentum* eſt; Qualis maſſa Rom. 9. 21. intelligitur, tale eſt etiam prædeſtinationis objectum. At ea intelligitur corrupta. Ergo. Sed negatur primùm propoſitio: quia Apoſtolus objectum prædeſtinationis non deſcribit, imò neque ipſam prædeſtinationem, ſed Dei, homines ex eadem maſſa ad oppoſitos fines, figuli inſtar liberè formantis poteſtatem: ut & verba Apoſtoli, & antecedens illa, quam refutat, objectio; *Cur ita me feciſti?* demonſtrat. Deinde Aſſumptio non eſt neceſſaria: quia per maſſam illam, maſſa terræ ſeu lutum unde Adamus & omnes in eo primum creati, intelligi poteſt ac debet. Quemadmodum verba Iſaiæ (unde hæc deſumpta] oſtendunt cap. 45. 9. *Væ litiganti cum figulo ſuo, teſtæ, cum teſtis terræ.*

An

An dicet lutum figulo suo, quid facis? Deinde ex eo etiam sequeretur Adamum & Evam quorum formatio non fuit ex massa corrupta) à formatione hac, & ita à prædestinatione, excludi: quod absonum.

X. *Quintum* ac *postremum argumentum* est ex prædestinatorum epithetis Rom. 9. nam reprobi, *vasa iræ* vers. 22. electi *vasa misericordiæ* vers. 23. Ergo objectum prædestinationis hominum ad patefactionem & iræ & misericordiæ, sunt peccatores: quia Deus neutrum finem, sine prævio peccato, exequi potest. Sed negatur consequentia: quæ ex subdita ratione confirmari nequit: ut ex tertii argumenti solutione constare potest.

XI. Quare cum ex ante dictis rationum (quibus prima sententia fulcitur) infirmitas satis demonstrata: reliquum est ut alia firmiora, quibus refelli posse videtur, opponamus. *Primum est*; Quod ad prædestinationis hominum finem (nempe misericordiæ & justitiæ Dei patefactionem) ordinatum, illud non est prædestinationis illius objectum, sed medium: Creatio hominum ad patefactionem illam ordinata. Ergo non est prædestinationis illius obje-

ctum, ſed medium. Aſſumptio inde liquet, quia iſta & miſericordiæ & juſtitiæ Dei patefactio creationis hominum finis eſt: quia bonum eſt remotum ad quod creatio hominum tendit ac dirigitur.

XII. Idquè etiam D. Vrſinus rectè aſſerit atquè inculcat ut tom. 1. in ſumma loc. com. theol. *Finis* (inquit) *hominis, ad quem eſt conditus, ultimus & principalis, eſt æterna Dei celebratio: huic ſubordinati ſunt alii; vera agnitio Dei, declaratio miſericordiæ in electis, & juſtitiæ in reprobis.* Sic etiam in loc. com. de creatione; deniquè in Catecheticis per D. Paræum editis, De creationis hominum finibus; *Quartus* (inquit) *eſt patefactio Dei, ſeu declaratio, miſericordiæ, in electis ſervandis: & juſtitiæ, in reprobis abjiciendis.*

XIII. *Secundum argumentum*; Cujus finis eſt miſericordiæ & juſtitiæ Dei in hominibus manifeſtatio, illud non eſt objectum prædeſtinationis hominum ad eum finem: Permiſſionis lapſus finis, eſt miſericordiæ & juſtitiæ Dei in hominibus manifeſtatio. Ergo. Aſſumptio patet; quia lapſus hominum permiſſio, medium eſt ad finem illum neceſſarium.

XIV. Hinc

XIV. Hinc meritò D. Paræus lib. disp. publi. append. ad disput. sextam ait; *Lapsus est homo &c. Deo quidem non efficiente, aut approbante; nequè tamen ignorante, aut invito: sed justo judicio permittente, nec servante hominem à lapsu, quum servare posset: ut hominis quidem sibi relicti imbecillitas: Dei verò misericordia & justitia in homine manifestaretur.*

XV. *Tertium argumentum* est, quod illa, de Objecto prædestinationis, homine creato & lapso, sententia, sapientiæ Dei (quæ media ante finem decernere non potest) minus consentiat. Quasi scilicet, ante prædestinationem, priùs ordine, homines creare & permittere labi, (absquè remoto ultimoquè fine præstituto) decrevisset. Posteriùs verò ordine, præviso demum lapsu, finem & creationis hominum & lapsus remotum ultimumquè statuisset. Quod perinde est ac si quis decrevisset domum struere & permittere ut laberetur: ac præviso demum lapsu, tum primum & structuræ domus & lapsus illius permissi finem ultimum statueret. Hæc ad priorem sententiam: ad alteram transeundum.

XVI. Ea autem hoc argumento stabilitur;

litur; Objectum prædestinationis aut *est* homo præscitus creatus sive creandus (eodem enim sensus redit) aut creabilis. Non est autem homo præscitus creatus sive creandus, ut ex prioris sententiæ examine constare potest: Ergo creabilis, id quod ex summa rationum oppositarum infirmitate clarius poterit confirmari.

XVII. *Prima* autem hæc est; Objectum prædestinationis est ens: Homo creabilis non est ens, sed non ens: Ergo. Verum negatur Assumptio, quia negat certum illud atquè invictum principium; *Ens aliud est actu, aliud potentiâ.* Ac quamvis homo creabilis non sit ens actu, ens tamen est potentiâ, relatè cùm ad omnipotentiam Dei (cui omnia sunt possibilia Mat. 19. 26.) tum ad voluntatis illius, in creatione hominum, libertatem summam.

XVIII. *Altera ratio*; Si objectum prædestinationis hominum sint homines creabiles ac prædestinabiles, ergo Deus prædestinavit etiam eos quos nunquam erat creaturus. Ratio, quia hi quoquè sunt prædestinabiles. Sed & consequentia & ratio illius infirma: quia vanâ hac nititur hypothesi, Omnis prædestinabilis prædesti-

stinatur. Id quod neque cum Dei omnipotentiâ, neque cum voluntatis illius libertate, neque cum infinita illius omniscientia consentit.

XIX. Quamvis enim Deus unum tantum hominem cum suis prognatis ad misericordiæ & justitiæ suæ gloriam prædestinarit ac crearit; potuit tamen pro sua & omnipotentia, & voluntatis in creando libertate, & plures & alios atquè aliter, & ad alium finem prædestinare ac creare, idque pro ipsius omniscientia, Deo prædestinanti non potuit non esse objectum: quia summè sapiens sibi ignotus esse non potuit. Deinde si soli prædestinati fuerint prædestinabiles, prædestinatio eorum non fuit Deo libera & arbitraria, sed (quod absonum) necessaria. Vbi enim unum tantùm est prædestinanti objectum, aliud decernere non potest. Denique si soli à Deo prædestinati sint prædestinabiles: aut Deus prædestinando potentiâ & libertate suâ caruit: aut eam ignoravit. Quæ ἀδύνατα. Quamobrem hisce omnibus perpensis, ut priorem de objecto prædestinationis hominum sententiam, facilè ferimus, idcircò tamen probare nequimus; quod & infirmis

mis niti argumentis, & firmioribus confutari posse videatur: posteriorem verò ut accuratiorem & adversus tela perstantem atque illæsam, non temerè præferimus ac probamus.

Atque hæc sententia est, quam in Synodo Nationali publicè professus sum, me paratum argumentis tueri, si quid novi de Prædestinationis objecto *esset statuendum: eaque argumenta D. Goclenio proposuisse, eumque postulato perpendendi spatio, tandem respondisse;* Argumenta sunt solida. *Eaque narratio à Viro illo doctissimo è regione confidente, audita ac silentio probata. Nobiliss. verò atque Ampliss. ac Consultiss. D. D. Martinus Gregorii (inter præpotentum Ord. General. legatos ac præfectos, Ducatus Geldriæ & Comitatus Zutphaniensis nomine, tum præses) respondit:* Nihil novi statuetur. *Quemadmodum etiam nihil tale statutum, sed objectum controversum, quo Semipelagianismus involvebatur discussum ac rejectum: proprium verò objectum nec definitum, nec rationes utrinque ponderatæ. Neque prædestinatio à priori, sed à posteriori tantum descripta: quod salvâ fidei & charitatis compage, de descriptione à priori, inter pios & eruditos scriptores nostros, diver-*

sæ

sæ essent sententiæ. Ideoque meritò insignes ac doctissimi Suyd-Hollandiæ legati pastores, in illa Synodo Actor. parte 3. pag. 48. edit. in 4. ita censuerunt; *An Deus in eligendo homines consideravit ut lapsos: an etiam ut nondum lapsos, existimamus non necessarium ut definiatur.*

FINIS.

Atque hæc fuit Constans magni viri, ab initio professionis, ad finem usque vitæ, Doctrina quod hîc demonstrandum censemus, ut appareat, causam non esse, cur quisquam suspicetur, *fieri potuisse, si diutius superstes fuisset, ut præconceptam de Objecto Prædestinationis sententiam deponeret.*

Ita docuit

Primò Lugduni Batavorum: & primum quidem disputatione publica *de Prædestinatione Dei* Resp. Sam. Grutero A°. 1604.

THESIS VI.

Quemadmodum omnis Prædestinatio Objecto & Subjecto distinguitur; sic &

& Dei : quæ vel [a] generatim res quavis ſpectat, æternumque Dei decretum universè ſignificat; vel ſpeciatim creaturas ſolum rationales earumque fines ſupernaturales & media eò pertinentia; & ad partem decreti Dei ac providentiæ refertur.

a *Act.* 2, 23. & 4, 28. & 17, 26. 1 *Cor.* 2, 7.

VII. Quam quodammodo definimus, [a] propoſitum Dei, quo ex creaturis rationalibus indefinitè præſcitis, ſingulares quaſdam, [b] pro ſuo jure & beneplacito, ad fines ſuos ſupernaturales & [c] creationem in recto juſtitiæ originalis ſtatu, cæteraque ſua media præordinavit, ad [d] gratiæ ſalutiferæ, ſapientiæ, & poteſtatis ſuæ liberrimæ, gloriam.

a *Rom.* 9, 11. *Eph.* 1, 11. 2 *Tim.* 1, 9. b *Rom.* 9, 15. 18. *Eph.* 1, 5. 11. *Matt.* 11, 26. c *Gen.* 1, 27. 31. d. *Rom.* 9. 21, 22. 23.

VIII. Propoſitum Dei quaſi genus remotum eſt, &c.

IX. Vt autem genus hoc remotum fiat proximum, hac differentia communi (quo ex creaturis rationalibus indefinitè præſcitis [a] ſingulares quaſdam) ex materia (ut loquuntur) cum objecta, tum ſubjecta, reſtringimus : quæ ordine & numero differunt.

a *Apoc.* 17, 8.

X. Ordi-

X. Ordine; quia objectum antecedit, subjectum verò ex illius præordinatione procedit: numero; quia illud totum; hoc pars illius. Objectum enim voluntati prædestinanti, ab intellectus divini præscientiâ (quæ est rerum possibilium ac nondum definitarum, sive eæ futuræ sint, sive non sint, notitia) monstratum, sunt creaturæ rationales servabiles & creabiles universæ: subjectum verò prædestinationis sunt singulares quædam ex iis. Vt enim Deus innumeras etiam alias & aliter destinare potuit ac creare, pro sua [b] omnipotentia; idque voluntati objecit, pro infinita & indefinita [c] scientia; ita certum tantum earum numerum, certasque personas, voluntatis proposito, pro sua libertate, prædestinavit.

b 1 *Tim*.6,15. c 1 *Tim*.1,17. d *Matt*.20,15.

XII. Forma prædestinationis creaturum rationalium consistit in [i] prædestinatione ad fines ipsarum, statumque æternum, & eò pertinentem creationem; reliquaque media. Ad [k] quæ cum deducat Deus in tempore, ad eadem prædestinâsse

i *Act*.13,48. *Matt*.20,21. *Matt*.25.34,41. *Iud*.4.
k *Matt*.25.34,41.

ab æterno, ex eventu, divina sapientia, constantia, & æternitate constat. Unde bimembris, ut apparet, prædestinatio. Una ad fines l (quæ licet æternitatis duratione sit simul, ordine tamen naturæ antecedit: quoniam finis, propter quem res est, primus est in sapientis intentione) altera ad m creationem in recto justitiæ originalis statu, cæteraque media, &c.

l *Apoc.* 21, 27. *Rom.* 9. 21, 22. m *Gen.* 27, 31. *Prov.* 16, 4. *Rom.* 8, 29. 1 *Pet.* 2, 8.

XIII. Idcirco etiam objectum prædestinationis ad suos fines, accuratè & citra prolepsin (quæ in hoc argumento usitata obscuritatem parit) loquendo, sunt creaturæ rationales, non quà re ipsa servandæ, aut perdendæ, creandæ, lapsuræ, aut perstituræ, reparandæ: sed quatenus potentia remota & indefinita servabiles, damnabiles, creabiles, labiles, reparabiles. Idque objecti, & causæ, cum efficientis, tum finis, natura & ordo, citra controversiam evincit. Objectum enim naturæ ordine, potentiæ sibi adjectæ & circa se occupatæ operationem, eoque & objectum prædestinationis ipsam prædestinationem, antecedit, imò & amplitudine, ut ostendimus, exce-

excedit: atqui servandum, creandum, lapsurum reparandum non excedit, nec antecedit prædestinationem, sed eam sequitur: ergo illius objectum non est. Vt enim creabile, ab indeterminata & absoluta Dei omnipotentia; sic creandum, ab ea, per voluntatis prædestinationem ad creationem determinata, dependet: ac propterea prædestinationem, quæ causa illius efficiens est, antevenire non potest.

Secundò idem docuit, Analysi in Epistolam ad Rom. Cap. IX. quam Leidæ dictavit A°. 1604. Groningæ verò plenius repetiit A°. 1628. & 1629. ubi hæc illius de hoc argumento extat *dissertatio*.

Quæritur primum, quid per *lutum* & *massam* intelligatur. Quidam de testacea figuli terreni materia: alii de materia figuli cœlestis melius exponunt. Nam quamvis priores statuant v. 21. esse similitudinis plenæ πρότασιν, quia de figulo & materia testacea propriè agit; v. 22. contineri ἀπόδοσιν, quæ de Deo loquatur; illud inquam ex superiori declaratione, alienum esse, apparet. 1. quia v. 20. agitur de figulo cœlesti, quemadmodum ostendimus: idque apparet v. 21. & 22. ubi eadem allego-

ria continuatur; deinde apodosis debet convenire sententiâ cum protasi; Atqui vers. 22. non convenit, sed materia differt à vers. 21. ut ex superioribus patet. Alii igitur accuratius, non de luto & massa testacea; sed de humana disputari statuunt: Idque bifariam, ut ad genus humanum, aut condendum, aut conditum & lapsum referatur. Primam sententiam genuinam maximéque consentaneam esse, insigniores Theologi statuunt, nimirum ut lutum & massa denotet materiam informem seu terram, ex qua genus humanum, Dei cœlestis figuli arbitrio, in usus destinatos, creatum est. Nam quod quidam contendunt, homines in Adamo lapsos, objectum esse Prædestinationis ad suos fines, seu electionis ad vitam & reprobationis ad exitium: illud præstantissimis orbis Christiani Theologis non paucis, variis de causis, minus probatur. Primum; quia communi principio rationis & sapientiæ Dei repugnat. Cùm enim finis sit causa, cujus gratiâ res est: primus est in intentione & postremus in executione. Ac propterea in omnis artificis sapientis mente, præcedit operis ipsius aggressionem. Vt citra ullam

ex-

exceptionem, unanimi Philoſophorum conſenſu approbatur. Quocirca Deus ſapientiſſimus generis humani architectus, etſi ſimul omnia decrevit, ordine tamen primum propoſuit finem hominis creabilis, antequam decreverit creationem: alioqui contra ſapientiæ ordinem & finis naturam, decreviſſet primò media ad finem deſtinata, quàm ipſum finem. Figulus ille ſtultus meritò cenſeretur, qui decerneret vaſis effectionem primum, deinde de fine cogitaret. Quod abſurdum, ut in figulum ſapientem non cadit: ita multo minus in Deum ipſum, ſapientiæ & ordinis certi fontem unicum. Deinde ſi *maſſæ* nomine, genus humanum corruptum intelligeretur, non diceretur Deus figulus vaſa facere, alia ad decus, alia ad dedecus: ſed ex vaſis dedecore plenis ſeu peccato & maledictioni obnoxiis, quædam ad decus renovare, quædam in ſuo dedecore relinquere. Sed objicitur, quæ mens eſt in propheta Jeremia cap. 18, 6. & cœteris, eadem eſſe debet hoc in loco Pauli. Atqui Jeremias loquitur non de creatione hominis, ſed tantùm de gubernatione creati, cujus ſtatum Deus, pro ſua poteſtate & juſta volun-

tate & hominum moribus, commutat: Quemadmodum enim figulus vas quod sub manu illius confringitur, refingit & alterum reformat, pro arbitrio: ita Deus homines ab ipso creatos, qui ab eo moribus corruptis deficiunt, punit; & si respuerint, eadem potestate, in integrum restituit. Ergo inquiunt, etiam Paulus loquitur, non de hominis creatione, sed creati & lapsi statu; quod Deus ex iis, qui corrupta natura meriti erant condemnationem, quosdam, pro sua potestate & arbitrio liberrimo, gratiosè servet, alios justè damnet.

Verùm negatur propositio, quamvis enim similia ferè in Jeremia & in Paulo sint verba; Jeremiæ tamen testimonium spectari ac citari, probari non potest: cum diversitas in scopo & tractandi modo appareat. Nam Jerem: similitudine partibus suis distinctis explicata utitur: Paulus contrà loquitur per allegoriam. Deinde Jeremias de vasis actu factis & corruptis: Paulus verò contra de luto & materia vasis, & de vasis non actu, sed de vasis potentiâ differit. Denique Jerem: loquitur de vasis factis & fractis, ne sint eadem vasa: Paulus contrà non ait Deum frangere vasa, ut talia esse desinant;

nant; sed efficere vasa, ut vasa sint, suisque usibus inserviant: Idque etiam ostendit, quod Paulus subjecit vasa *κατηρτισμένα, coagmentata ad interitum*, & *quod vasa quædam præparâvit ad gloriam*. Sed iterum excipiunt, obstare phrasin, de electis vasis activè dici, *quod Deus ea præparârit ad gloriam*, quia author est: de reprobis verò passivè quod sint *κατηρτισμένα ad interitum*, nimirum non à Deo, sed à Diabolo & seipsis: ac propterea non agi de creatione hominis, sed de qualitate creati. Verùm negamus obstare phrasin; & causam illius, quæ objicitur, veram esse, non admittimus. Sic enim ait de iisdem & Dei destinatione passivè loquitur Sp.S. in epist. Iud. v. 4. *ad hoc judicium præscripti*; non sanè à seipsis, sed à Deo. Deinde in causa salutis declaranda utitur etiam Apostolus passivis, *dilecti, misericordiam consecuti, vocati, justificati*. Præterea Apostolus Deum metaphoricè figulum vocans, utitur verbis activis v. 21. *facere vas ad dedecus*, quod idem est omnino; & Salomon Prov. 16. ait: *Omnia fecit Deus propter se, etiam impium ad diem malum.* Et sanè tropi ratio idem quoque ostendit. Quid enim ineptius, quàm dicere vasa à sei-

seipsis compacta: cum illud figulo soli conveniat? Ita enim esset homo fictor sui ipsius, non Deus creator.

Verùm objicitur, Deum esse fictorem ratione substantiæ & ortus hominum: non autem ratione accidentis interitus: quod vasa quidem testacea, ut nihil ad ortum, ita nihil ad interitum sui conferant, aut mereantur; quia carent ratione: sed vasa humana, ratione prædita, ad ortum sui nihil etiam præstare: veruntamen quia ratione prædita sunt, peccatis suis interitum promereri; quemadmodum Hoseæ c. 13. dicitur: *Perditio tua ex te Israel.*

Sed respondetur, inde non sequi, hominem figulum esse sui & à se compactum ad interitum. Quoniam ea laus, faciendi vasis, Deo ab Apostolo Paulo, ratione creationis, & à Jeremia, ratione gubernationis & justi judicii, adscribitur. Sed urgent amplius; Deus citra controversiam creavit *hominem ad sui imaginem, hoc est, vera justitia & sanctitate præditum, ut Deum creatorem suum rectè cognosceret, ex animo diligeret & cum eo beatus in æternum viveret,* ut nostra Catechesis docet. Ergo nullum ad justum exitium creavit; sed omnes ad

salu-

ſalutem. Conceditur antecedens: ſed negatur conſequentia. Nam in antecedenti non indicatur finis hominis àDeo creatore deſtinatus: ſed exponitur idonea facultas atque officium hominis, ad imaginem Dei creati: nempe ut Deum rectè agnoſceret & ex animo diligeret: deinde fructus illius ac finis operis, qui præſtationem officii ſeu rectum imaginis Dei uſum, erat conſecuturus, nempe ſalus æterna. Nam ad operantis ac creantis Dei finem deſtinatum quod attinet: certum eſt, eum executioni mandari: quia cumDeus ſit ſapientiſſimus, errare non poteſt: & quia optimus ac veriſſimus, à ſe diſſentire ac mutari non poteſt: & quia omnipotens, in re decreta exſequenda non poteſt impediri, unde illud Eſ.46,10: *Conſilium meum ſtabit & omnis voluntas mea fiet*: unde hæc demonſtratio firmiſſima exſurgit: quos Deus ante creationem, ab æterno, non elegit ad vitam æternam, ſed rejecit & juſtè condemnare decrevit, eos in tempore non creavit, hoc conſilio, ut eos vita æterna donaret ac vitam æternam conſequerentur: hæc enim conſilia eſſent repugnantia è diametro. Deus autem ſeipſum abnegare non poteſt

2 Timoth. 2. v. 13. quippe *omnia facit secundum consilium voluntatis suæ*, Ephes. 1. v. 11. Ideoque non contra consilium. Atqui Deus reprobos, seu eos, qui pereunt, ab æterno non elegit ad vitam æternam: sed ab ea rejecit, ac justè condemnare decrevit, Matth. 25. 41. Iudæ vers. 4. Ergo Deus homines reprobos (utpote exitio justo destinatos) non creavit eo consilio, ut ipsos vita æternâ donaret: sed solos electos.

Verùm iterum inquiunt: si Deus quosdam ad exitium destinavit & creavit: Ergo est author exitii, eoque & peccati: quia per illud peccatum reprobos perdit. Verùm non sequitur: quia quamvis Deus destinârit & creârit quosdam ad justum exitium; illud tamen exitium non decrevit nudè: sed ut justum sit, subordinatis hominum peccatis inferendum: quorum peccatorum Deus non effector iniquus, sed permissor & rector ac vindex justissimus est. Atque ita facile diluitur, quod objiciunt: si Deus prædestinavit & creavit quosdam homines ad interitum: Ergo injustus est qui innocentes perdat. Nec enim Deus quemquam ad exitium absolutè, ac nudè, sine

ſine ſubordinatis mediis,ſed ad exitium juſtum, hoc eſt,& per & propter peccata,judicio juſto inferendum, deſtinavit.

Verùm antequam progrediamur, obſervandum eſt, huic decreto probè convenire executionis modum; quia non niſi peccatores & merito peccatorum damnat. Sed excipitur iterum: Si Deus decrevit exitium quorundam juſtum; Ergo etiam media, nempe peccata: ideoque peccatorum eſt author. Negatur conſequentia. Nam Deus decrevit non peccata efficere, ſed permittere; ſeu non impedire, & regere ad ſuam gloriam. Nec enim quicquid Deus decrevit, illud etiam efficit: ſed quæ decrevit efficere, eorum eſt author, ùt omnia bona quæ fiunt: quæ autem decrevit non impedire in creaturis mala, ſeu peccata; ea non efficit: quia efficere non decrevit; ſed permittit & regit tantum & juſtè tandem punit convenienter decreto.

Veruntamen quædam aliæ difficultates explicandæ ſunt. Prima eſt à convenientia neceſſaria decreti & executionis illius. Atque hinc ita argumentantur: Propter quod Deus nunc damnat, propter illud damnare decrevit; quippe decretum verum

rum & immutabile. Sed propter peccata Deus damnat: Ergo propter peccata damnare decrevit. Sed negatur consequentia syllogismi. Quia fallacia est homonymias. Nam *propter* significat, aut causam impulsivam, aut ei subordinatam. In conclusione significat causam impulsivam & antecedentem decretum, de qua quæritur: sed in propositione causam subordinatam: aliàs falsa est. Nec propterea tamen à decreto discrepat executio, ut objici solet: Quia quæcunque in decreto sunt statuta, ea executioni mandantur convenienter decreto: sed causa impulsiva decreti, ea decreto non est statuta: eoque neque inest illi: sed decretum omninò ordine antecedit. Deus pro sua potestate libertima, suoque placito, ad gloriam suam patefaciendam, quosdam gratis beare, quosdam justo exitio damnare decrevit: utrumque exsequitur. Decrevit simul permissionem lapsus & è lapsis saluti destinatos, per Christum, à lapsu ad salutem redimere: contraque justè damnandos, in lapsu relinquere, ipsorumque merito damnare; quorum utrumque similiter exsequitur. Quare objectio illa, quam urgent, infirma, imò ratio-

rationis rectæ principio invicto contraria. Quia finis (ac per consequens causa destinationem finis antecedens) prior est mediis suis, in intentione destinantis: posterior verò in executione. Media verò quia fini subordinata sunt, ordine posteriora sunt intentione; executione verò priora.

Atque hæc de prima difficultate reliquâ. Altera verò est petita ex occasione verborum Pauli Eph. 1.14. *Elegit nos in ipso* (nempe Christo) *ante jacta mundi fundamenta.* Unde Arminiani sic disserunt: Qui electi sunt in Christo, illi considerati sunt in electione, tanquam Christo insiti & per consequens, creati, lapsi, fideles: quia sine fide nemo est in Christo. Atqui teste Apostolo nos sumus electi in Christo: Ergo in electione considerati sumus tanquam Christo insiti: ideoque creati, lapsi, fideles. Verùm negatur propositio, quia nititur falsa hypothesi: quasi idem esset, electum esse in Christo, & electum esse in Christo existentem: Quum prius illud notet causam electionis efficientem; posterius verò non efficientem, sed electorum subjectum, Paulus enim non ait: elegit nos

ἐν αὐτῷ ὄντας, *in ipso existentes*, quasi antecedens objecti eligendi conditio notaretur; sed tantum ait, elegit nos ἐν αὐτῷ *in ipso*, hoc est, per ipsum, ut Col. 1. 16. simili phrasi, de Christo dicitur, *in ipso*, hoc est, per ipsum, *creata sunt omnia*: non autem in ipso existentia, (hoc enim creationi repugnaret: nam existentes non creari possunt, ut existant; hoc enim iis convenit, quæ non existunt: sic hoc in loco ad Ephes. Pater per Filium elegit nos ab æterno. Deinde negatur etiam syllogismi consequentia. quia vocabulum *electionis* accipitur in quæstione controversa & conclusione, de primo electionis membro, nimirum electione ad vitam æternam: in minori verò de secundo electionis membro, nempe medio vitæ æternæ subordinato, seu de electione ad sanctitatem: dicitur enim, *elegit*, *ut essemus sancti*, cui effecto destinato Christum tanquam causam mediam subordinavit, per quem sanctificaremur. Unde retorqueri solet ab Augustino & à nostris Theologis argumentum; Qui electi sunt, ut sint sancti, illi non sunt electi, quia erant sancti; nec tanquam sancti considerati sunt in electione.
Nam

Nam finis electionis non poteſt exiſtere ante electionem ipſam ad finem. Quod enim futurum deſtinatur, illud non eſt; & quod eſt, illud non primum futurum eſt. Ideoque qui eliguntur, hoc eſt, ex reliquis ſegregantur, in eum finem, ut ſancti ſint, illi antè non erant ſancti. Deinde quicunque ſunt in Chriſto, illi ſunt ſancti. Nam ſine ſanctificatione per vivam fidem (quæ ſine charitate eſſe non poteſt) nemo eſt in Chriſto. Atqui illi qui eliguntur in Chriſto, non ſunt ſancti; quia electi dicimur, non quia ſancti eramus: ſed ut eſſemus ſancti. Ergo qui eliguntur in Chriſto, non ſunt ſancti.

Sed excipi ſolet: Electi dicimur in Chriſto, non autem in Filio Dei, aut per Filium Dei: ideoque Chriſtum primum electum, tanquam caput: deinde nos propter Chriſtum, tanquam membra ipſius conſideratos. Verùm negatur conſequentia: Nam Chriſtus nomen eſt perſonæ, & ſub iſto nomine, ei tribuuntur, prout res poſtulat, modò quæ conveniunt divinæ tantum naturæ, modò quæ humanæ. Chriſtus verò elegit nos, tanquam cauſa principalis, unà cum Patre: tanquam verò mediator,

tor, homo factus, causa subordinata est, ad salutis media, ac salutem, ad quam electi sumus. Deinde quod dicitur, Christum primùm electum esse, deinde nos propter Christum tanquam membra illius, per fidem factos, alienum est, & in veræ sapientiæ lucem impingit. Quandoquidem media ad finem destinata prius à Deo ordinata esse, quàm finem, statuit: id quod in Deum sapientissimum cadere non potest. Nam qui electus ac destinatus est à Deo propter nos, ut à peccatis nos liberaret ac servaret, ille non est prius electus quàm nos, propter quos tanquam finem electus est: sed contrà nos prius electi. Atqui Christus electus & destinatus est propter nos, ut nos à peccatis liberaret ac servaret, 1 Pet. 1, 20. & 1. Johan. 4, 9. & 10. Ergo Christus non est prius electus ac destinatus quàm nos: sed contrà nos prius electi, quàm Christus. Ideoque licet à nonnullis, vocum quadam concinnitate, dicatur: *Electio prima est Christi, tanquam capitis: secunda Christianorum, tanquam membrorum ipsius*: illud ab ordine vero alienum est. Nam quamvis Christus sit caput & nos membra; inde tamen minimè sequitur,

tur,

tur, illum prius esse ad vitam & justitiam electum, quàm nos; quemadmodum ex superioribus rationibus constat. Ac sane sequentia Pauli verba illud etiam ostendunt, Eph. 1, 5. cum *prædestinatos nos* dicit, *ad adoptionem in filios*, διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ. Ubi adoptio statuitur finis prædestinationis, & Christus ut medium acquirendi illius finis: Ideoque Deus non prius prædestinavit Christum, quàm nostri adoptionem: quoniam propter hanc, Christus destinatus & missus. Atque hæc de difficultate secunda, quæ ex Paulo ad Eph. 1, 4. moveri solet.

Tertia verò est ex 2 Timoth. 2, 21. Apostolus, inquiunt, ostendit, vasa à seipsis præparari, ad decus, aut dedecus, aut saltem ad dedecus, quia ait: *Si quis seipsum expurgârit ab his, erit vas ad decus sanctificatum & accomodatum usibus Domini*. Sed aberrant à scopo; quia repurgationis non initium denotatur, quippe regeneratio purum putumque Dei donum est; sed progressus illius, in quo, Dei, ex principio vitæ spiritualis, nobis per regenerationis gratiam donatæ, cooperatores existimus. Quod autem dicitur *erit vas*, non

effectum significat, sed consequentiam. Puritas enim vasis, utpote causa, effecto suo, purâ vitâ, declaratur. Nam (quemadmodum trita vulgo sententia ex Augustino petita dicitur) *tunc sæpè dicitur aliquid esse, aut fieri, cum incipit patefieri*; Quales loquendi modi, non solùm in usu communi, sed etiam in S. literis satis frequentes sunt. Ut exempli gratiâ, Matth. 5. v. 45. *ut sitis filii Patris vestri*, hoc est, ut appareat, vos esse tales. Nam ea quæ præcipit Christus, sunt filiorum Dei effecta sequentia, non antecedentes causæ. Sic Ioan. 15, 8. *In eo glorificatur Pater meus, ut fructum multum feratis, & sitis mei discipuli*; quæ verba manifestè consequentiam, non autem efficientiam notant, hoc est, apparebit, vos esse meos discipulos. Nam ante hanc Christi concionem, Apostolos revera fuisse discipulos Christi, non solum vocatione, sed etiam fidelitate, res ipsa declarat. Denique excipitur: Etsi concederetur, vasa, de quibus Paulus loquitur, non à se esse coagmentata, ad justũ interitum; sed à Deo: tamen non nisi habita ratione peccati, ordine prædestinationem antecedentis: quia vocantur *vasa iræ*. Sed

[illegible]gatur

negatur consequentia: quia vasa iræ bifariam intelligi possunt, vel ratione consilii & finis: ut sensus sit, vasa iræ destinata, hoc est, in quibus *Deus ostendere voluit iram suam*, hoc est, justitiam punientem & *coagmentare ad justum interitum*, quemadmodum exegeticè additur: vel ratione eventus, iræ obnoxia. Priori modo peccati antecendentis consideratio locum non habet, sed peccati permittendi subordinatio. Deinde quamvis largiremur, altero modo debere accipi, nihil tamen obtineretur: quia sensus esset, Deum volentem, ab æterno, ostendere iram, seu justitiam punientem & potentiam suam, vasa iræ, seu justitiæ punienti jam obnoxia (quæ coagmentârat & creârat ad justum exitium) multâ lenitate pertulisse. Eoque modo *vasa iræ* dicentur ab eventu & executione: *Coagmentata* verò ratione creationis. Quemadmodum fideles dicuntur electi, non quod electionis faciendæ sint objectum: sed prædicatæ electionis subjectum. Sic vasa iræ Dei obnoxia sunt subjectum prædicationis coagmentationis ad interitum justum: sed non objectum antecedens destinationem aut creatio-

nem. Quemadmodum Jac. 2. 6. dicitur; *Deus elegit divites fide & hæredes regni*, quo ostenditur subjectum electionis, seu quales sint jam illi, quos Deus elegit; non autem quomodo in eligendo homines ipsos prius consideràrit: aliâs ante electionem ipsam fuissent hæredes regni: Ideoque non electi fuissent ad regnum, ut Scriptura docet.

Quod denique obiicitur, si destinatio hominum quorundam ad Justum exitium, prior esset ordine, creatione eorum; sequeretur Deum in destinatione versatum fuisse circa nihil, seu Non-ens. Atqui hoc absurdum est. Nam non-entis, nulla sunt accidentia, nulla attributa. Verum fallacia est homonymias, quia non-ens bifariam accipitur. Aliud enim est NON-ENS simpliciter, nempe quod neque actu, neque potentiâ est Ens. Aliud non-Ens secundum quid tantùm, nempe quod est Ens potentiâ, etsi nondum sit actu: ratione prioris significationis vera est assumptio; ratione verò secundæ significationis, falsa. Sic Deus in prædestinatione non est versatus circa nihil & NON-ENS simpliciter: sed circa aliquid seu circa Ens poten-

tentiâ hominem, nimirum creabilem, qui ratione actus non fuit, sed potentia. Sicut decretum creationis mundi & creationis hominis, objectum habuit mundũ & hominem, non ut creatos neque ut existentes actu: sed tantùm potentiâ; prædestinatione verò actus illorum destinatus, & quidem ad fines suos, qui ordine considerationis ac destinationis ipsam creationem antecesserunt. Nec enim Deus primùm decrevit creare mundum & homines temerè, sine nullo præstituto, quasi post decretam creationem tum demum præposterè, in quem finem creatio esset instituenda, cogitârit ac statuerit. Hoc enim sapientiæ Dei è diametro adversatur: utpote qui nihil frustrà faciat.

Ex quibus omnibus, quid de objecto prædestinationis sit statuendum, satis patere arbitramur, & quid per *lutum* & *massam* intelligatur, & qua ratione *vasa* dicantur quædam ad dedecus & interitum, justo judicio inferendum, à Deo summo justoque figulo facta & coagmentata. Reliqua quæ ad hanc sententiam oppugnandam afferri solent, pauca sunt & difficilioribus hisce solutis, suâ sponte corruunt.

Si qui verò (ut in re nondum decisa) servata in reliquis fidei analogia, Objectum prædestinationis hominem lapsum esse censeant, & *massæ* nomine intelligi hoc loco existiment (ut quorundam etiam piorum & eruditorum sententia est) per me sanè licebit. Causas verò cur cum Clar. Beza, Wittakero aliisq; illustribus Theologis plurimis sentiam, pro instituti ratione, ostendisse me satis arbitror: si quis rem cum re, argumenta cum argumentis conferat. In hac enim sententia nullum Dei attributum læditur. Contrà verò quomodo contraria sententia, in sapientiam Dei non impingat, media in consideratione ac destinatione, fini suo præponendo, hactenus videre non potui, neque facile ostendi posse, res ipsa docebit. Si qui hæc conciliari posse demonstraverint, veritati, pro officio, lubens cedam.

Tertiò eandem ibidem doctrinam reposuit, anno 1609. non tantum disputationum Theologicarum quinto repetitarum trigesima quarta, Resp. Casp. Sibelio: ubi à Thesi XV ad XLVI. eadem ferè, quæ ex disput. S. Gruteri exhibuimus, quamvis distinctius & paulo plenius tractat. Sed

et-

etiam Scripto Belgico, quod inscribitur:

Fr. Gomari

WAERSCHOUWINGE,

Vbi sic scribit, parte secundâ, pag. 10.

DE vrage is / of Godt de menschen eer (soo veel de orden der saecke aengaet) geordineert heeft ter salighepdt / dan ter scheppinge?

Antwoorde.

Ick gelove ende bekenne/ Ja.

Et pag. 13. & seq.

Bevvijs ende redenen uyt Godts Woordt.

Het eynde der scheppinge / is eer van Godt aengemerckt/ ende geordineert dan de scheppinge selve.

Want al die wijs is/ doet sijn wercken tot eenigh eynde: soo dat het eynde is in aller wijsen rade het eerste / waer na dat men mickt/ maer in dade ende uytvoeringe / het laetste. Anders soude geschieden/

dat men soude schieten sonder op yet te micken / ende dwaselick sijn werck aenleggen op den wilden bof.

Dit licht der Natuyre / ende vonckxken van Godts wijsheydt / en kan niet verdonckert worden.

Maer nu is de saligheyt het eynde van de scheppinge der uytverkoren; gelijck in den Catechismo op de 6. vrage / ende ghegrondet is in Godts Woordt / Rom. 9. 21,22.

Daerom is de selve eerst aenghemerckt ende geordeneert / dan de scheppinghe der uytverkoren.

Welcke bewijs-reden soo vast is / dat mijn weerde mede-Professor D. Arminius, die niet en heeft konnen teghen-spreken / sonder met eene / beyde / het algemeyne licht der natuyre ende ongetwijfelde regelen / ende de Heylige Schriftuyre / tegen te spreken.

Want sijn E. heeft geseyt (in de Conferentie) mondelick / ende oock in sijne eygene handt-schriften die by my berusten / dat die voor-ghestelde reghelen in Godes raedt ende daedt niet waer en zijn. Item dat de wijse Godt niet en doet tot eenigh eynde.

eynde. Item/ dat hy in rade / het eynde niet eerst voor en stelt. Want dat hy tegen-werpt/ dat daer uyt soude volgen/ dat Godt soude ghebreecklick zijn / en sluyt niet. Dewijle Godt het opperste goede blijft/ ende en soeckt geen verbeteringe/ als hy/ tot sijner schepselen beste/ eenigh Wit ende oorden houdt: noch en wordt niet beweeght/ gelijck de schepselen/ maer stelt het Wit ofte eynde vooren / ende de middelen ordent ende schickt hy daer na onbewegelick ende wijselick. Ten tweeden heeft sijn E. oock geseyt / dat de salighe ydt niet en zy het eynde der scheppinge der uytverkoren. Item/ in sijn schriften / dat de verklaringe van Godts eere / niet en zy het eynde der geschapenen menschen / daer in tegen-sprekende Godts Woort/ Prov. 16, 4. Rom. 11, 36. ende Esai. 43. 7. Alle die met mijnem naem genaemt zijn, dien ick ghe∫chapen hebbe tot mijner eerlickheydt, ende haer bereydet ende gemaeckt.

Daerom blijft vast de Leere van my voor-gestelt. Hoe-wel/ soo eenige broeders/ die eerste twee puncten (namentlick/ ten eersten / dat Godt van eeuwigheydt besloten heeft/ na sijn wel-behagen/ eenige

bysondere persoonen saligh te maken: ende tot dien eynde Christum eñ 't Gelove te geven. Ten tweeden/ dat dit zy Prædestinatie ter salighheydt) wel-verstaende ende toe-staende / dit derde niet en soude vatten: soo ben ick altijdt willigh ende bereyt met Christelicke billickheydt die te verdragen/ tot dat het Godt ghelieve te openbaren: gelijck ick oock voor de E. E. Mo: Heeren Staten vrywilligh hebbe voor-betuyght: mits aen weder zijde sulcks geschiede.

Hier teghen is van mijn weerde Mede-Broeder *D. Arminio* dese leere voor-gestelt.

1. . . . .

2. . . . .

3. Dat Godt eer geordineert heeft den mensche te scheppen / ende voorgesien sijnen val/ ende eer geordineert heeft hem het gelove te gheven / eer hy hem geordineert heeft ter zalighheydt: waer mede de Wijsheydt Godts onteert wordt. Want wie eerst ordineert sijn maecksel/ ende voorsiet de toe-komende verballinge van dien ende de weder-oprechtinge/al eer hy het hoochste

ste goedt ofte eynde van sijn maecksel ordineert/ die ordineert onwijselick.

Na de leere D. Arminii soo heeft Godt eerst geordineert den mensche sijn maecksel te scheppen / ende voor-gesien den val van dien/ geordineert het gelove te geven/ eer hy gheordineert heeft den mensche tot sijn hooghste goedt ofte eynde: dat is de zaligheyt. Daerom na D. Arminii leere/soo soude Godt onwijselick geordineert hebben.

Maer alsoo Godt alles wijselick geordineert heeft ende gedaen/ Psal. 104,24. so en heeft hy na dese onordeninge niet geordineert.

II. In Illustri Schola Theologica Reip. Middelburgensis, uti liquet ex lectionibus in Epist. ad Rom. quas inibi, à 5. Septemb. anni 1613. habuit: quarum tabulæ Synopticæ ipsa magni viri manu scriptæ penes nos. Ubi Lect. 124, 125. & 126. de hoc argumento agit.

An verò in Academia Salmuriensi hanc controversiam publicis prælectionibus aut disputationibus tractaverit, nobis quidem non constat.

III. In celeberrima Groningæ & Omlandiæ

landiæ Academia, ubi & docendi & vivendi finem fecit. Ibi verò hanc Doctrinam sæpius proposuit. Primum in commentario in Epist. ad Romanos, quem à 29. August. 1628. ad 31. May, 1629. dictavit: ex quo dissertationem de hoc argumento, jam suprà exhibuimus.

Deinde anno 1630. in prolixâ illâ & accuratissimâ disputatione de Prædestinatione, à Thesi 17, ad 43. ubi sic loquitur:

Divina hominum prædestinatio, est *particulare Dei decretum, quo, ex hominibus indefinitè præscitis, omnes eos, qui fuerunt, sunt, & erunt, in eum finem, bonos creare, & rectâ gubernatione, lapsum eorum, ac justitiæ originalis amissionem permittere, ac porrò, ad æternum, animæ corporisque statum, dirigere decrevit: ut in electis eorum, per misericordem, cum Christi servatoris, tum salutis æternæ, per eundem, donationem, suæ misericordis gratiæ: in reliquis verò præteritis, justa per meritum ipsorum condemnatione, vindicis suæ justitiæ, gloriam celebrandam, manifestaret.* Atque hæc *descriptio*: quæ, ut *genere* suo, & *differentia*, constat: ita utrumque, pleniorem explicationem, desiderat.

XVIII. Ac *genus* quidem remotum, statui-

tuimus Dei decretum, seu prædestinationem generatim sumptam a. Vnde, partim *causa æterna* illius *movens* εὐδοκία b seu liberum voluntatis divinæ (à nulla re futura dependentis) placitum c: partim, *æternitatis* d atque *immutabilitatis* e, attributa, necessario concluduntur: quemadmodum Dei, decreti illius, natura f evincit.

a *Rom.* 8, 29. *Eph.* 1, 5. b *Matt.* 11, 26. *Eph.* 1, 5. c *Rom.* 9, 11. & 18. & 22, & 11. 35, 36. *Eph.* 1. 9, 11. d *Matt.* 25. 34, 41. *Act.* 15, 18. e *Ies.* 46, 10. f *Ib.* 14, 27. *Iac.* 1, 17. *Prov.* 19, 21.

XIX. *Propinquum* verò fit *genus*, quum decretum hoc, *particulare*, dicitur; ut ab universali (cujus pars est) distinguatur: & similibus homogeneis consentaneum, declaretur.

XX. Cui generi, sua subnectitur *differentia* duplex: *communis* & *propria*. *Communis* autem est, quæ utrique hominum prædestinationi, conveniens, eam, à reliquis omnibus particularibus decretis, distinguit. Et in *communi*, partim *materia* (ut vocant) partim *forma*, consistit.

XXI. Ac *materia* quidem, vel *objecta* est, vel *subjecta*: quæ duo, *ordine*, & *numero*, inter se differunt.

XXII. *Ordine*; quia *objectum* præcedit: *sub-*

subjectum verò, ex objecti prædestinatione, procedit: *numero*; quia illud est totum: hoc verò, pars illius.

XXIII. *objectum* enim prædestinanti Dei voluntati (quæ, ob summam intellectus illius sapientiam, in ignotum, aut temere, ferri non potest) ab indefinita illius præscientia, monstratum, fuerunt homines, quatenus poterant prædestinari. *Subjectum* verò, sunt omnes illi ac soli homines singulares, qui divinitus prædestinati. Quæ duo, succincta ac distincta, præscientiæ Dei, propriè acceptæ, explicatione, fient clariora.

XXIV. Siquidem præscientia Dei, est rerum universarum, & singularum, quæ fieri possunt, perfectissima, in Deo scientia.

XXV. Nam *præscientiæ objectum*, sunt τὰ δυνατὰ, quæcunque fieri possunt: eorumque ratione, bifariam distinguitur.

XXVI. *Vna* enim, est τῶν δυνατῶν ἁπλῶς eorum, quæ simpliciter fieri possunt: seu quæ, in neutram partem (neque ut fiant, neque ut non fiant) sunt definita. Altera verò est τῶν ἐσομένων καὶ τῶν μελλόντων eorum possibilium, quæ futura sunt.

XXVII. Vnde prior, *præscientia indefinita* ac

ac *simplicis intelligentiæ*: & *naturalis* etiam ac *necessaria* dici consuevit: quòd Deo nihilominus conveniret, etiamsi nihil omnino decrevisset: posterior verò, *definita* nominatur: quod circa res, tanquam decreto definitas [a], occupetur.

a *Act.* 2,23. & 15,18.

XXVIII. Etenim omnia futura, fieri possunt: sed innumera possunt fieri [a], quæ nunquam sunt futura.

a *Matth.* 26,53. & 3,9.

XXIX. Nam si plura, quàm fiunt, efficere nequit Deus, non est omnipotens: si quid autem valeat efficere, aut fieri possit, ignoret, non est omniscius: eóque nec Deus. Quibus nihil, in infinitam, potentiæ [a] ac sapientiæ Dei [b], majestatem, indignius fingi potest.

a 2.*Cor.*6,18. *Apoc.* 4,8. b *Rom.* 11.33,34. 1 *Cor.* 2, 11. *Heb.*4,13.

XXX. Sub *indefinita* autem *præscientia* (omnes, simpliciter possibilium, modos respiciente) etiam illa, quam vulgò, *conditionatam*, nuncupant, continetur.

XXXI. Ea autem est, quâ Deus, ex infinito, sententiæ suæ, quædam futura, non absolutè; sed certa conditione posita, prænovit.

XXXII.

XXXII. Quemadmodum, si certa, rerum ac circumstantiarum, series poneretur, quisnam inde eventus (non fato Stoico, sed pro causarum ratione) necessarius, aut contingens, esset futurus certissimè præscivit: *sive* ea series, subsequente *Dei decreto*, sit *definita*, sive *indefinita* manserit. Quoniam præscientia hæc indefinita, à decreto definiente, minimè dependet; sed illud necessario (tanquam objectum, suum adjunctum) naturæ ordine, antecedit.

XXXIII. Ac *prioris modi*, in re indefinita, exemplum (præter alia) illustre *primum* est, quod Deus præsciverit futurum, ut David, si modò in urbe Kehila maneret, à Saule invaderetur, & à civibus traderetur [a]: quorum neutrum tamen, ob Davidis fugam, perpetratum. *Alterum* verò, quod Deus similiter prænoverit, ac prædixerit futurum, ut gentes exteræ Ezechielem, si ad ipsas mitteretur, audirent [b]: quamvis etiam, nec res ipsa, neque rei futuræ conditio antecedens, evenerit.

a 1 *Sam.* 23. 11, 12. b *Ezech.* 3, 6.

XXXIV. *Posterioris* verò in re, succedente decreto, finita exemplum, in hominum quoque prædestinatione, elucet. Siqui-

quidem Deus, inter alia, pro immensa sua scientiâ, prænovit, si homines, ex iis, quos creare poterat, certos (nempe eos, qui fuerunt, sunt, & erunt) in recto justitiæ originalis statu, in Adamo crearet, daretque, de abstinentia arboris scientiæ boni & mali, mandatum, Satanæ tentationem non impediret, & consentaneè suæ sanctæ potestati atque hominum libertati (ut fecit) dirigeret, prænovit (inquam) futurum, ut boni specie ac voluntatis libertate abusi, mandati transgressione laberentur, ac justitiam originalem excuterent: atque ita viam omninò idoneam (cum ad misericordis ac salutiferæ suæ gratiæ, tum ad vindicis justitiæ gloriam) adfuturam.

XXXV. Quam objectam (inter cæteras) rerum seriem, non ut causam, sed ut occasionem, in hac prædestinatione spectans Deus, libero ac sapienti decreto, distinctè præfinivit. Idque eventus, certissimus decreti Dei index, evincit: ut qui omnia, ex consilio voluntatis suæ, efficiat [a].

a *Eph.* 1, 11.

XXXVI. Vt enim innumeros alios homines, & aliter creandos ac gubernandos, pro sua sapientia ac bonitate, destinare po-

D tuit,

tuit; quia omnipotens [a]: idque voluntati suæ objecit, quia omniſcius [b]: ita certum tantùm numerum, certaſque ſingulares perſonas, pro ſua libera juſtaque poteſtate, [c] prædeſtinavit.

a 1.*Tim.*6,15. *Matt.*19,26. b 1.*Tim.*1,17. c *Matth.*20.15. *Rom.*9.18,22. & 11.35,36.

XXXVII. Cujus numeri, à Deo definiti, & ſingularum perſonarum, myſterium, ſolus novit [a], qui, ſine conſiliariis, prædeſtinavit [b].

a 2.*Tim.*2,19. b *Rom.*11,39.

XXXVIII. Ideoque *ſubjectum* hoc, non ſigillatim, ſed generalius,. & à poſteriori executione, tantùm adumbrantes, his verbis, in præmiſſa prædeſtinationis deſcriptione, innuimus; *Qui fuerunt, ſunt, & erunt.* Atque hæc de *altera communi*, prædeſtinationis hominum, *differentia*: quæ, in *materia* (cum *objecta*, tum *ſubjecta*) conſiſtit.

XXXIX. *Tertia* denique eſt in *communi* ac generali *forma*: qua, à reliquis particularibus Dei decretis, diſtinguitur. Eaque *partim*, in hominum, ad ultimum finem, præordinatione, *partim*, in mediorum, ad eum idoneorum, ſubordinatione, apparet.

XL. Quæ duo, licet æternitatis ratione, &

& perfectissima Dei (sine ulla deliberatione, omnia decernentis) consideratione, sint simul: reipsa tamen, seu naturæ suæ ordine, sunt distincta. Ideoque à Deo distinctè, intellecta ac decreta: ut veritas ipsius (qua res, sicut sunt, cognoscit) mamanifestè demonstrat.

XLI. Quum enim finis sapienti propositus, non propter media sua, sed propter se intendatur: media verò (sive efficienda, sive permittenda) propter finem, futura ordinentur: propterea, naturæ ordine, & intentionis Dei (ut sapientia ipsius flagitat) ratione, finis ultimi hominum, prædestinatio, mediorum illius futurorum, ordinationem, necessario antecedit.

XLII. Quare, quum media non minus, quàm finis (ac licet simul, ordine tamen posteriore) sint destinata: idcirco ea, *nec causa, nec objectum*, prædestinationem antecedens, sine evidenti contradictione, dici possunt.

Denique hanc doctrinam sexto ante obitum die, confessionis instar & quasi testamenti loco proposuit, in *Vltimis* illis, quæ jam sequuntur *Verbis*. Ut mirum sit clar. Virum præfat: *Xeniorum Academ.* Fol. v.

verso affirmare, contrariam sententiam, *constantem* Academiæ Groninganæ *doctrinam* fuisse. quasi Gomarum tantum illius, per ipsos viginti & tres annos Academiæ lumen, pro fungo, imò pro nihilo habeat.

Apologiæ pro Francisco Gomaro,

Pars prima h. e.

Vltima Illius Verba.

QUæstio est non de ipsa Prædestinationis doctrinâ, sed de ordine, de quo, semper, varia fuit & libera, in ecclesiâ Dei, sententia.

Sententia autem illa, quæ Objectum Prædestinationis statuit hominem creatum & lapsum, primò pugnat contra sapientiam Dei; quia statuit, Deum decrevisse, creare homines & permittere lapsum, antequam finem utriusque cum in electis, patefactionem Misericordiæ, tum in reprobis, patefactionem Justitiæ decrevisset.

Secundò in ordinẽ Prædestinationis: quia quæ Deus certo fine conjunxit, ea separant

ac

ac divellunt, cùm creatio & permissio lapsus sint media Prædestinationis, ad fines subordinata, quæ dividunt, cum statuunt antecedere Prædestinationem.

Huc accedit quod D. Molinæus in suo ad Synodum misso scripto conatus est persuadere, ut Objectum prædestinationis statueretur *homo lapsus*: Sed illius nulla habita fuit ratio, ut res ipsa ostendit. Et non solum ego contra protestatus sum, si quid novi esset definiendum, ut thesibus indicavi; sed & Domini Deputati Suydhollandiæ significârunt, id non opus esse. Imò fuisse pomum Eridos, ut omissâ causa indictæ Synodi, de re disputabili, ac tolerabili, inter nos imprudenter committeremur, præter æquitatem & libertatem & ante & postea observatam.

Præterea Synodus objectum Prædestinationis nullo modo definivit, sed tantum pro captu Ecclesiæ ac rudiorum, *Quinam sint electi* declaravit & quidem ab executione Prædestinationis, quod scilicet non omnes in peccatum prolapsos, sed quosdam eorum elegerit, selectos nimirum; reliquos rejecerit. Qua in re, Synodus secuta est *confessionis* sententiam, ex qua ob-

jectum prædestinationis, neque expressè, neque necessariâ consequentiâ, demonstrari potest: id quod etiam eruditè ostendit D.D. *Tuvissus.*

Atque ita S. Scriptura in rudiorum gratiam etiam loquitur. Ut Christus ait, *Multi vocati, pauci* (scil: vocatorum) *electi.* unde non sequitur, *vocatos, paucos* esse objectum, sed subjectum electionis.

Sic etiam Ephes. 1. *Elegit nos ante jacta mundi fundamenta, in Christo.* Elegit *nos* id est, fideles, qui fideles, subjectum, non objectum citra controversiam.

Sic etiam 2. Thess. 2. *Deus elegit vos ad salutem*; *Vos* non objectum, sed subjectum, *Vos credentes.*

Sic denique in epistola Jacobi, *Elegit Deus pauperes mundi, divites fide, hæredes regni.* Quocunque modo, sive de electione temporali, id est, vocatione; Sive æterna accipiamus, neutro modo objectum, sed subjectum electionis declaratur.

Sic etiam in omnibus *Confessionibus* Ecclesiarum Reformatarum, habetur ratio, non objecti, sed subjecti, ut etiam in primâ Helveticâ, agitur, *de Prædestinatione Sanctorum,* & definitur, *qua Sancti electi sunt.*

Sic

Sic etiam in Confessione Gallica, Rupellæ, præside Beza, confirmata, eadem ratione, objectum non definitur, sed subjectum. Neque unquam Beza, cum objectum definivit, eo nomine accusatus, quod Synodo, cui subscripserat, repugnârit.

Neque post Synodum, Domino Amesio, neque Domino Maccovio, neque ullis aliis, quorum scripta extant, sententiis consentaneis, ulla lis mota aut moveri potuit. Quibus accedit, quod etiam Doctores Leidenses eandem & Synodi & Confessionis Belgicæ sententiam esse agnoscant. Præterea in Synodo explicatio mea de loco Ephes. 1. accurata judicata est, de qua amica facta sit συζήτησις. Imò quamvis nonnulli hoc conati fuerint, ut duriores quædam formulæ, à magnis quibusdam viris usupatæ mutatione quadam Scripturæ, rejicerentur; Synodo visum non est, ne doctrina illorum damnari videretur.

Denique accedit consensus ecclesiarum reformatarum in Germania, in libello, cui titulus Ausführlich Bericht / &c. pag. 349. & seqq. edito Heidelbergæ, cum privilegio.

Hæc, totidem verbis, Venerandus senex, ὁ νῦν ἐν μακαρίοις, è fatali lectulo, sexto ante obitum die, qui fuit quintus Ianuarii Iuliani, anni M. DC. XLI. voce quidem debili & nonnihil impeditâ, sed memoriâ, ad miraculum usque, expromptà dictavit, & manus suæ, quamvis ægerrimæ, subscriptione confirmavit, his verbis

FR. GOMARUS D. ende Professor

יהוה יראה

Rogavitque uti hæc, post decessum suum, in lucem ederentur. quod testamur

DAVID de la HAYE, auctoris gener,
IOHANNES VEREEM
MARTINUS VBBENIUS
} Auctoris discipuli & Ecclesiæ Christi Pastores.

Hæc eadem, sequenti die repetita, μακαρίτης confirmavit, quod attestor

ADOLPHUS SIBELIUS verbi divini minister.

Apologiæ pro Francisco Gomaro,

Pars secunda.

In qua doctissimorum, virorum *Epistolæ* (quas ipsemet Gomarus nobis edendas tradidit) & *Testimonia.*

I. Eorum, quorum fidei Actorum Synodalium excipiendorum & conscribendorum commissa fuit: nempè

D. Festi Hommii Synodi Scribæ,

Et

D. Danielis Heinsii, Illustrium & Præpotentum Ord. General. Deputatis & legatis à Secretis.

II. Eorum Theologorum, qui ipsimet etiam Synodo interfuêre.

III. Aliorum magnorum virorum.

I. *Epistola venerandi doctissimique viri D. Festi Hommii.*

REverendissime & clarissime Vir, miramur atque etiam dolemus ex animo, Tibi tanto Viro, de Ecclesiâ Dei tam egregiè merito, in hâc ultimâ & grandi senectâ, à

fratribus quibusdam negotium facessi, ac molestias creari, propter elucidationem Sententiæ de Objecto Prædestinationis, in quâ hactenus licuit salvâ Orthodoxiâ ac pace diversum sentire. Hæc mens & praxis semper fuit Ecclesiarum, uti liquet ex Collatione Hagiensi & Judicio Suydt-Hollandorum in Synodo Nationali Dordechtanâ. Memini atque in Notulis (ut vocant) invenio, fuisse non neminem, qui urgebat, ut decreto Synodi Sententia eorum, qui supra lapsum ascendunt, condemnaretur: Te verò huic molimini se opposuisse, ac protestatum fuisse, si fratres vellent ad hanc condemnationem procedere, se fucepturum sententiæ hujus defensionem, ac petere ut rationes atque argumenta sua expendant prius, uti æquum est. Neque enim Theologos decere articulũ aliquem condemnare, aut aliquid definire, nisi prius argumenta probè examinaverint. Neque de hâc quæstione ab eo tempore ulterius quidquam actum fuit. Nec Præses Quæstionem ventilandam proposuit, nec Synodici sententiam rogati, nec disceptio ulla super eâ habita: quæ omnia definitionem præcessisse debuissent. Quod autem à ma-
le-

levolis porrò affingitur, monitum scilicet te in Synodo, ut opinionem tuam de Prædestinatione neque in Academiâ neque in Ecclesiâ doceres, neque memini unquam esse factum, neque in Notulis meis quidquam quod tale sapit, reperio. Scio quàm difficulter ejusmodi calumniæ in senili stomacho concoquantur, sed virilem animum resume, & fortiter, ut soles, ejusmodi homines, qui ex vexatione magnorum virorum laudem captant, contemnas. DEUS Te roboret Spiritu suo, & Ecclesiæ quàm diutissimè incolumem conservet. Lugduni Batavorum IV Iulij A°. 1640.

Tuus omni officio atque affectu à multis annis, tremula manu,

FESTUS HOMMIUS.

Inscriptio hæc erat:

Reverendissimo, celeberrimo, atque integerrimo Viro, D. Francisco Gomaro Doctori & Professori in inclyta Academia Groningana.

Groningam.

Viri

Viri illustris, D. Danielis Heinsii, Equitis, Epistola prima.

Reverende, Clarissime, Magne Vir,

VEro & ex animo testari possum, me, ex quo primum pene puer hic à te admissus sum, parentis loco constantissimè te coluisse. Auxit hunc affectum alter parens meus, magnus ille Scaliger, qui & ipse, quantum tibi, quantum eruditioni tuæ semper tribuerit, propè solus testari possum. Quo lubentius, in re præsertim, quam nunc curæ tibi esse & video & scio, occasione oblata subito, gratificabor tibi. Ad quas molestias quantasque, ab Illustrissimis Præpotent. D.D. Ordinum Delegatis, in Synodo quæ Dordrechti habita, adhibitus fuerim, non ignoras, sat scio. Vbi, præterquam quod Acta omnia & literas, quæ ad Principes exteros nostrosque, & Ecclesiastas, imprimis eos, qui à nobis dissentirent, & vocandi viderentur, concepi, singula propè quæ in publico conventu gesta, diligenter annotavi. quæ & cum iis quæ à Reverendo D. Festo annotata erant, contuli commisi. E quibus,

ea quæ in omnium nunc manibus versantur, Acta Synodi, fideliter collecta atque instructa, cum Præfatione mea, nomine supremi omnium Provinciarum Magistratus scripta, hic prodierunt. quemadmodum & coram Regis Magnæ Britanniæ Legato, nonnullisque ex Ordinibus iisdem, de Articulis quinque Homiliam habui. quæ cum privilegio eorum aliquoties excusa est. quo magis & de singulis constare nobis potest. Quod igitur nunc quæritur, utrumne in Synodo, de opinione tua, quod ad Prædestinationis objectum, monitus fueris, nihil tale aut notâsse me aut meminisse scio: multo minus, ne in Academia Ecclesiaque hanc proponeres, injunctum tibi. Audivi quidem, aliquid de eâ, missum è Magna Britannia Episcopum movisse: te autem, si quid tale fieret, sententiam de eo tuam, solidis munitum esse rationibus, dixisse. De quo mecum Festus noster egit. qui constanter idem prædicat ac candidè testatur. Turbas nuper apud vos obortas, serio & ego, neque pauci amicorum, dolent. Illud vel imprimis miror, quemquam reperiri qui præclaram tuam & constantiam, & in Ec-

clesiam pro veritate, & adversus hostes ejus merita, ignorat: aut eorum amplius non meminit. Quos quantosque hîc amicos habeas, quotidie experior. Inter quos, qui maximo cum morbo ac diuturno conflictatur, noster Thysius ac Imperator. Me autem, ut constanter inter eos, hoc est verè tibi, & ulterius quàm dici potest, fide constantissima sanctissimaque addictos, habere pergas, postulo ac rogo.

Ex tempore. Lugd Bat.
A°. CIↃ IↃC XL. Iulij VI.

Revent.ae tuae ex animo devotissimus,
Daniel Heinsius.

Inscriptio:
Reverendo; Clarissimo, ac Eximio Viro, D. Francisco Gomaro, S.S. Theologiæ Doctori ac Professori celeberrimo.
Groningam.

Magni Danielis Epistola Secunda.

Reverende Domine,

PRoximè, quantum me obstrictum, tibi sentiam, quod in adversis tuis, opera,
licet

licet qualicunque nostra, utendum tibi crederes, ac tanti nos haberes, significavi, nisi fallor. ut nihil minus quàm excusandum tibi crederem, quod hoc honore à te affectus essem. Cum Magnifico nostro *Polyandro* aliquoties de te tuisque rebus meritisque, & prolixè, & confidenter egi, ut & cum *Triglandio*,. imprimis autem *Thysio*, qui sensim nunc ad plures abit. *D. l'Empereur*, verè tui amantissimus, tuas adhuc habet. Miror, ut candidè nunc agam, reperiri quenquam, qui, quantum debeatur tibi, ignorare potest, aut cui summa ac verè incomparabilis eruditio tua, ac zelus sanctissimus, qui infestis Ecclesiæ ac veritati temporibus, tam illustre sui dedit specimen, nondum se probavit: aut qui adversæ parti ejusque ludibriis, canitiem tuam venerandam exponere non dubitat: quem ego, non tam *Confessorem* quàm *Martyrem*, fuisse semper dixi. Res tuę, quin jam alio sint loco, non dubito: neque potest fieri, quin Magistratus vester sciat, quantum ad Academiæ illustre nomen, ac religionem veram intersit, ne hac ætate stationem mutes, & propugnatæ veritatis pœnam luas, quomodo & quatenus jam

satis-

ſatisfactum tibi ſit, inprimis ſcire velim, quod è tuis nondum planè intellexi: Deus te, ſanctiſſime ac venerande ſenex, diu incolumem conſervet, & ingentes addat animos, ut par calamitati tuæ, imò ſuperior tanquam è tentationis igne, feliciter emergas. Vale meum decus Lugd. Bat. A°. 1640. Sept. 3.

Reverentiæ tuæ obſervantiſſimus
DANIEL HEINSIUS.

Inſcriptio.

Reverendo & eximio Viro D. Franciſco Gomaro S. S. Theologiæ Doctori ac Profeſſori celeberrimo.

Groningam.

II.

Teſtimonia & Epiſtolæ ſummorum aliquot Theologorum, qui ipſimet Synodo interfuêre.

Cla-

I.

Clarissimi & doctissimi Iohannis Polyandri Miscellaneâ tractatione Theologica primâ, pag. 8. & 9.

NOstra Synodus Calvini, Bezæ, Piscatoris & aliorum sententiam de objecto præscientiæ divinæ ad hominis prædestinationem restrictæ *silentio pretermittit.*

Item pag. 14. *&* 15.

Tu Mentzere quosdam ex nostris Theologis, quorum privatam sententiam, nostra Synodus, quatenus super hominis lapsum ascendunt *sua loco reliquit,* tanquam reos jam à nobis condemnatos hoc loco traducis. Qua in re prævaricaris, cum non ignores, nos professores Leydenses, qui Synodo Nationali interfuimus, in censura confessionis Remonstrantium, Theologos, quos erroris insimulas, à consimili Remonstrantium criminatione defendisse, ob causas quas ibi recensemus.

2.

D. Gisberti Voetii Theologi Celeberrimi Epistolæ duæ.

I.

REverende ac clarissime Vir, pater & præceptor in Christo, mihi honorande, ad illud quod quæris, an meminerim in Synodo dictum tibi esse: ut sententiam tuam de Objecto prædestinationis tibi servares, nec in Ecclesiâ aut Academia doceres: respondeo candidè, me non meminisse. Addo me nihil istius in notis meis invenire: cùm tamen omnia omnium & singulorum dicta, suffragia, dissertationes, velitationes (quæ quidem alicujus momenti esse videbantur) quâ potui diligentia in notas meas retulerim. A Synodo tale quid de tuâ sententiâ statutum, aut nomine Synodi, aut approbante Synodo, neminem arbitror vel per somnium opinari: quomodo enim id fieri potuisset, ut se non prodidissent Synodales Belgici, quum aliqui sententiam illam semper amplexi erant; alii immo plerique, ni fallor, eam rejici aut ab Academiis rejici nolebant, propter duas ra-

rationes, 1. quod quamvis coram omnibus forte non conduceret de ea ſubtiliter diſputari, tamen cum altera illa ſub lapſu optimè conciliari poſſet & deberet; præeunte doctiſſimo Fr. Junio 2. quod præſtantiſſimorum primæ Reformationis Doctorum, & aliorum, qui illis ſucceſſerant, reverentiæ tantum tribuendum putarent; ut hæc ſententia illorum, determinationi ſynodali non excluderetur, ſed intacta relinqueretur. Quod ſi dicant particulari alicujus ſuffragio hoc propoſitum eſſe, aut forte ἐν παρόδῳ à Præſide Eccleſiaſtico aut Politico: Reſpondeo me nihil tale in notis meis invenire, nec omiſſurum fuiſſe, ſiquidem à Præſide hoc dictum fuiſſet: imprimis cum nos Belgas non paucos hoc concerneret, qui in examine & admiſſione ad miniſterium in illam ſententiam reſponderamus, claſſibus nullibi improbantibus; & quorum aliqui publicis diſputationibus & ſcriptis illam ſententiam tutati erant, quod exprobrant Remonſtrantes in Nullitatibus Synodi vernaculè editis, & Tilenus in notis ad canones Synodi p. 2. adeo ut Zuyd-Hollandi, & Trans-Iſulani ne tunc quidem judicio ſynodali, quidquam

determinarent de Objecto Prædestinationis: consulatur utrorumque judicium in Actis Synodi. Et quâ authoritate, aut quo jure hoc tibi impositum fuisset; cum *D. Makkovio* (qui ab adversariis suis propter duriuscula quædam, opinione ipsorum, ab illo scripta, calidè ibi accusabatur) ne γρῦ quidem ab ullo Synodali (nedum à Synodo) dictum fuerit de sententiâ supra lapsum, quam ut ante, sic etiam in Thesibus à Parkero disputatis, & postea semper usque in hunc diem tutatus est, nullâ accusatione aut contradictione ideo obortâ, quamvis illi contentiones non paucæ intercesserint cum *D. Sibrando*, *D. Amesio*, DD. Pastoribus Franequeranæ Ecclesiæ & Classis, immò & totius Synodi Frisicæ: quæ, autem, quales, & quorum culpâ illæ acciderint, ego non inquiro, nec meum est dicere. Invenio in notis meis synodalibus ad diem 11 Martij sess. 107. hæc verba: Ubi lectum esset judicium (Professorum scil. Belgicorum) dixit *D. Gomarus*, se idem judicium etiam approbare, excepta quæstione de Objecto Prædestinationis, quæ in Ecclesiis nostris non est definita, Anglicanis scil. Gallicis, Belgicis;

gicis; quod ex confessionibus patet. Ea- „
dem sess. 107. judicio huic (*D. Sibrandi*) à se approbato subscripserant etiam „
D. Polyander, *D. Tysius*, *D. Walæus*. *D. Gomarus* idem dixit, quod de judicio trium „
Professorum.

Eâdem Sess. judicium hoc (*D. Gomari*), „
lectum approbare se dixerunt quatuor „
Professores Belgici, exceptâ quæstione „
de Objecto Prædestinationis. Hæc sunt quæ hoc tempore, ad postulatum tuum potui suggerere. Operæ pretium te facturum puto, si scripseris ad *D. Casparum Sibelium* Pastorem Daventriensem, & *D. Hieronymum Vogelium* Pastorem Enchusanum, utrumque discipulum tuum & tui studiosissimum; qui tunc ex Trans-Isalaniâ ad Synodum Nationalem delegati erant; quos sententiæ tuæ ὁμοψήφυς fuisse nullus dubito. Alter eorum *D. Vogelius*, mihi tunc communicabat diattiben suam, de Objecto Prædestinationis, quam etiam describebam. Certè miror sententiam tuam peregrinam nunc quibusdam videri, cum ea familiariter in Perkinso, Calvino, Beza, Witakero, Tvvisso, Makkovio quotidie frequentetur à concionatoribus, & studio-

 sis.

ſis noſtris; cumque ejus defenſionem quotidie legant in Magni Junii collatione cum Arminio.

Quod ad me attinet, ego illam ut à te proponitur his theſibus & antehac propoſita eſt, judico eſſe ſolidam, & refutandis adverſariis convenientem: ne opus ſit quærere latebras, & examen ſubterfugere: quod noſtris aliquando evenit, ubi in ſubtiliores & ſcholaſticos adverſarios inciderint. Collega meus *D. Carolus de Maets* (quem nuper Middelburgo huc advocavimus) in eadem ſententia tutò acquieſcit & eam à Tvviſſo egregiè defenſam judicat. Theſes tuas (ſepoſita ſententiæ veritate) judicamus omnes moderatè & prudenter à te conſcriptas; ita ut nullum præjudicium adferatur canonibus Synodi, quibus omnes ſubſcripſimus. Hoc tantum à te obnixè rogamus, ut negotium hoc Chriſtiana moderatione & æquitate inchoatum, eadem terminetur; tuque ferream patientiam potius induas, quàm ut repudium pacis ulli hominum, nedum fratribus & collegis in Ecclesia aut Academia denuncies. Præſtat aliquid pati tali in caſu, quàm agere. Dies revelabit, &

com-

componet aliquando placida pace, quæ nunc aſpera & ἄσπονδα videntur. Ἀνέχου μόνον καὶ ἀπέχου. Deus omnis patientiæ & conſolationis tibi adſit: cui te, tuaſque vias commendo. Vltrajecti 25. Junij 1640.

Tui obſervantiſſimus
GISBERTUS VOETIUS.

2.

REverende ac clariſſime vir, præceptor & pater in Chriſto obſervande, dolui ex animo, cum nunciatum eſt moleſtiam aliquam tibi objectam propter diſputationem de Objecto Prædeſtinationis. Ut dicam, quod ſentiam; velim fratres, quos orthodoxiæ & concordiæ ſtudio hoc agere minimè dubito, penitius rem conſideràſſent. De veritate & ἀκριβείᾳ ipſius ſententiæ nihil attinet hîc ex profeſſo quid dicere aut diſceptare. Conſtat ſaltem controverſiam eſſe problematicam, à Synodo minimè determinatam; de qua uti ante Synodum ſic & poſt jam 20. annis in Academia Franequerana perpetuò, nec non in hac noſtra Academia aliquoties in tuam hoc eſt plerorumque noſtræ reformatio-

nis Doctorum ſententiam fuit diſputatum, nemine hoc ægre ferente: ne quid dicam de celebri tractatu Twiſſi, quem tanto applauſu miniſtri Belgici paſſim exceperunt, quemque Ameſius publicò elogio approbavit & commendavit. Sed imprudentiam & ſpeciem mali forte quis inveniſſe ſe prætendet in eo, quod refutari & proſtitui videatur Synodi Dordracenæ ſententia. Hoc ego in Theſibus tuis nondum potui videre. Neque non examinas aut refutas ſententiam ipſam Synodi, prout jacet: ſed potius opinionem eorum, qui ſic accipiunt decretum Synodi, quaſi omnem hujus myſterii veritatem ſic exhauriat, omnemque latitudinem rei decretæ tanquam terminum & objectum adæquatum prædeſtinationis comprehendat, & mutuâ ἀντιςροφῇ cum eâ reciprocare faciat; ut nefas ducant ſupra illud adſcendere, aut quidquam extra præter illud quærere. Diſtinguendum ergo inter ipſam ſententiam ac mentem Synodi in ſe, & inter acceptionem atque applicationem ejus à nonnullis: quatenus ſcil. putatur (ſed perperam) ſententia ejus διαῤῥήδην opponi ſententiæ ſupra lapſum, eamque excludere. Quod ſi quis dicat,

per

per latus istorum autorum Synodum tangi: respondeo nihil minus à te fieri; quippe qui Synodi sententiam exsertè à controversiâ illa excipis; & cum tua concilias. Aliud non est Synodus, & aliud particularis quorundam interpretatio, quæ nec Synodi verbis continetur, nec cum Synodalium interpretatione convenit. Haut aliter ac distinguimus ad Matth. 5. 38, 39. verba legis in se, ab iisdem verbis ex & cum opinione, intentione, acceptione & sensu Pharisæorum verba illa allegantium. Scio plerisque in Belgio Theologis, quos quidem mihi nôsse contigit, non displicuisse, nec etiamnum displicere conciliationem *Fr. Iunij* in collatione cum Arminio; non paucis nunc lectam & probatam distinctionem *D. Makkovii* in colleg. Disput. nuper recuso part. 1. disp. 21. Vbi ait, Objectum prædestinationis ratione finis consisiderari posse dupliciter; aut ut finis ille est in intentione, & sic esse hominem creabilem, & labilem; aut ut est in ordine ad exsecutionem, & sic esse hominem creandũ, lapsurum, creatum, lapsum. Nisi istæ aut similes distinctiones & conciliationes admittantur: utique necessario sequeretur,

Synodum sententiam præstantissimorum quorumcumque Theologorum (quorum longum catalogum hîc texere possem) immo & suam ex parte condemnâsse; à quo tamen longè ab fuit, quidquid vellicarent Remonstrantes: sequeretur etiam Synodales non paucos per æquivocationem aut mentalem reservationem canonibus subscripsisse (uti Remonstrantes iis exprobrant;) quippe qui sententiam supralapsariam aut ipsi tenerent, aut in aliis distinctione adhibitâ non improbarent, saltem in medio relinquerent. Quæ omnia, si admittantur; quam bene aut malè, Synodi existimationi consulatur, judicent prudentiores. Instet forte quis, non potuisse Synodales supra lapsum ascendentes, cum Synodo dicere, *Deum elegisse hominem lapsum*: cui reponimus optimè potuisse, juxta distinctionem modo allatam. Sic ipsa Scriptura dicit objectum seu terminum Electionis esse sanctitatem & caritatem Ephes. 1,4, Et reprobationis, gratiæ illuminantis negationem Matth. 11. 25, 26. Vbi tamen totam termini præfiniti latitudinem, seu objectum totale, adæquatum, & cum prædestinatione reciprocum non

non intelligimus, nec aliorum objectorum ac terminorum partialium considerationem excludimus; nedum ut ei contradicamus. Sed nimis multis hæc apud te. Boni quæso consule hanc παῤῥησίαν meam; sine insuper hoc unum te obtester atque exorem, ut prudentia & moderatione omni fortiter feras, si quid putes damnum existimationi tuæ illatum hac prohibitione. Fateor nullam (meo quidem judicio) communi causæ aut Synodo à te illatam injuriam; ad hæc neminem privatim, quod sciam, à te læsum: cum laudabili æquitate & moderatione sententiam tuam proposueris, eamque ab odiosa repugnantia cum Synodo solummodo, & modestè liberâris. Sed quid facias? Vt quimus ajunt, quando, ut volumus, non licet. Posset forte eadem Disputatio haberi, siquidem abraso titulo infarciatur Disputationi alicui de tota doctrina Prædestinationis, & simul ex abundanti pluribus verbis caveatur Sententiæ synodali: excipi scil. eam ab hac controversia, ea cum distinctione & eo sensu, quo tu cum plerisque Belgis, ut opinor Synodo olim subscripsisti: Vide quæso, an non cogita-
re

re possis de media hac via ineunda, aut de qualicunque alia secunda navigatione: siquidem prima uti non liceat; quod tamen ut fiat, tibique in omnibus satisfiat, ex animo velim. In quamcunque partem libra inclinârit; autor non essem, ut stationem tuam hac occasione, hoc tempore deseras. Cogita illud Vespasiani: *Oportet Imperatorem stantem mori.* Dandum est aliquid communi infirmitati humanæ, ut & paci publicæ: præterea cogitandum, alias olim vidisse te procellas, à quibus Deus te liberaverit. Ejus paternæ curæ te tuaque commendo, eumque animitus precor hanc tuam solitudinem & gravem senectam clementissimè soletur, tibique insuper in hoc negotio suggerat consilia quàm maximè salutaria: Salutant te Rev. & dilectissimi collegæ mei *D. Schotanus*, & *D. Car. de Maets*, qui lectis his literis judicio meo per omnia *συνευδοκοῦσι* IX. Kal. Julias CIↃ IↃCXL.

Tui observantissimus

GISBERTUS VOETIUS.

Quæstio

3.

Quæstio duplex proposita,

Clarissimis doctissimisque Viris

D. Abrahamo à Doreslaer,

Et

D. Hieronymo Vogellio,

Ecclesiæ Enchusanæ pastoribus fidelissimis:

Cum eorundem responsione.

VEnerandi senes, fratres & collegæ conjunctissimi, Magno Theologo, *D. Francisco Gomaro*, vestro olim, & meo etiam, ante annos non ita multos, præceptori ז״ל, paulò ante ipsius ex hac vita excessum, lis aliqua, ob disputationem de Objecto Prædestinationis, mota est: quod eam nonnulli Synodi Dordracenæ decretis adversam putarent, dictitarentque clarissimum virum, ea in re, etiam singlari Synodi mandato refragari. Eam opinionem etiam nunc multorum in hærere animis video, nec parum obesse illustri τοῦ μακαρί-

τοῦ

læ nomini. Quoniam verò vos venerandæ Synodi pars magna fuistis, vestrum hac de re testimonium, desidero & peto. quod pro vestro in Clariss. Gomarum, virum de Ecclesia Dei tam præclarè meritum, in me collegam vestri observantissimum, maximè verò in ipsam veritatem amore, non denegabitis. Sic mihi planè persuadeo

Vobis omni affectu & officio addictissimus

Mart. Ubbenius.

Quæritur ergo

1.

An in Synodo Dordracena, Controversia de Objecto Prædestinationis sit agitata & definita; statutumque illud esse, hominem creatum & lapsum: contràque eorum sententia, qui hac in re supra lapsum adscendunt, rejecta sit.

2.

An in eadem Synodo, *D. Francisco Gomaro* interdictum sit, ne suam de Objecto Præ-

Prædestinationis sententiam, sive in Academia, sive in Ecclesia proponeret, sed sibi eam soli servaret.

Clar. Doctissimoque Viro *D. Martino Ubbenio*, Ecclesiæ Enchusanæ pastori vigilantissimo.

Reverende D. Frater, Collega doctissime, conjunctissime,

Visis lectisque binis his Quæstionibus, quas Reverentiæ tuæ proponere nobis placuit, petitioni tuæ æquæ ac justæ deesse nolentes, non potuimus non ad interrogata respondere quod res est: non tam in gratiam τοῦ μακαρίτου, Theologi dum viveret, magni ac solidi, *D. Francisci Gomari*, præceptoris olim nostri dilectissimi, cujus memoria sit in benedictione: quam in gratiam ipsius veritatis, quæ quamvis amicus *Socrates*, amicus *Plato*, ipsa tamen semper magis amica, sinceris præsertim omnibus veritatis interpretibus & ad testimonium veritati perhibendum requisitis. Omnibus itaque reminiscentiæ ac memoriæ nostræ viribus expansis, & in celeber-

rimam istam Nationalem, Ecclesiarum uniti Belgii reformatarum, anni 1611. & 1619. Dordechti celebratam, Synodum, cujus & nos pars aliqua, quamvis minima, fuimus, retro-actis; ac privatis nostris chartis rerum inibi actarum, & summa cum fide in perpetuum memoriæ subsidium perscriptarum, præter publicas, cunctis ac singulis diligenter excussis, sanctè affirmamus, *nihil tale quod quæritur nobis esse compertum, vel unquam fuisse.* Verum quidem esse, cum R. D. Præses Synodi collegia singula monuisset, ut sua de primo Remonstrantium articulo circa divinam Prædestinationem judicia pararent, ad se deferrent, & Synodo publicè prælegenda exhiberent, etiam præfatum jam clarissimum Senem, *D. Gomarum* suum de divina Prædestinatione judicium, seorsim à judicio reliquorum D. D. Professorum formâsse, detulisse & prælegendum exhibuisse, atque illud publicè prælectum, à reliquis Professoribus, exceptâ quæstione de Objecto Prædestinationis, esse approbatum: quemadmodum & reliquorum Professorum judicium, post prælectionem, à *D. Gomaro*, similiter, excepta quæstione

de

de Objecto Prædestinationis, approbatum est. Sed interim etiam & illud verum esse, *Sententiam venerandi D. Gomari, aliorumque qui cum ipso sentiunt, de Objecto Prædestinationis, in Synodo, nec examinatam, nec ventilatam, nec in quæstionem vocatam, multò minus, ut erroneam sive damnabilem, censoria virgulâ notatam, sive inter errores à Synodo damnatos relatam & cum erroribus istis damnatam fuisse; imò controversiam de Objecto Prædestinationis in Synodo ne agitatam quidem nedum definitam esse.* Quemadmodum cuivis, judicium Synodi Dordracenæ de quinque doctrinæ capitibus in Belgio controversis æquâ judicii lance trutinanti, tam in explicanda, quam statuit, doctrinâ, quàm in rejiciendis, quos damnat erroribus, patere luce ac sole meridiano clarius potest. *Sic ut mirari nequeamus satis, quid illis acciderit, sive in mentem venerit, qui sententiam D. Francisci Gomari de Objecto Prædestinationis, in celebri ista Synodo damnatam, sive rejectam, eique ut eam sibi soli servaret, injunctum esse volunt:* Quod lubentes, meritoque ex rei veritate ita attestamur, manuumq; nostrarum subsignatione

hoc 13. Ianuarij die anni 1650. In Urbe nostra Enchusanâ corroboramus.

Abrahamus à Doreslaer, Ecclesiæ Enchusanæ pastor.

Hieronymus Vogellius ejusdem Ecclesiæ pastor.

III.

Aliorum magnorum virorum judicia & testimonia.

Inter eos verò maximo suo merito primus comparet venerandus senex, summus Theologus *D. Andreas Rivetus*, cujus planum & candidum exstat de hac quæstione judicium, in Epistola Apologetica adversus Mosis Amyraldi Criminationes pag. 79.

D. *Spanhemius* apertè se explicuit circa prædestinationis objectum, in Thesibus Genevæ disputatis & evulgatis Anno 1641. Thesi VIII & IX. ubi ostendit, distincta vocis ὁμωνυμία amicam esse inter orthodoxos in rei summa conspirationem

tionem. Quamvis enim, inquit, quidam ex iis adſcendant altius & œconomiam primi peccati etiam complectantur, omnes tamen in eo conveniunt, quod objiciant homines Deo *pares*, non *impares*, & tales quorum diſcretio à Deo ſolo fit, &c.

Et paulò poſt.

CUm autem ὁ μακαρίτης Franciſcus Gomarus nunquam repugnaverit, & cum aliis in Synodo, canonibus ſubſcripſerit, ita pro orthodoxo fuit habitus, ut Middelburgi primum, deinde Salmurij ——— & demum Groningæ ut nemo ei ἑτεροδοξίας litem intenderit; ut mirum ſic hoc tempore reperiri qui in Domino defunctum carpere voluerint. nam quod dicunt, *me impugnâſſe ſententiam ejus ſcriptis publicis & judiâſſe eam à Synodo Dordracena fuiſſe damnatam*, utrumque certè, quod me ſpectat, falſum eſt; Nec debuit, qui hoc dicit, ignorare, quid de ea re ſcripſerim in diſp. *de juſta & gratioſa Dei diſpenſatione circa ſalutem generis humani* diſp. III. quæ eſt de Prædeſtinatione. Quem libellum

ſæpe citavit. Qui eam diſputationem leget à Theſi XI. uſquè ad XVI. mirabitur hoc mihi auſum impingere fuiſſe, eo magis quod ibidem varias illas conſiderationes ad unam revocare tentaverim, dixerimque *Controverſiam in re nullam eſſe, etſi loquèndi modo videantur diſſentire*. Oſtenderim etiā Beatæ memoriæ Calvinum, utrumque loquendi modum propoſuiſſe, neutrum improbâſſe, ſecundum tamen prætuliſſe qui communior eſt, *cui ſe libentius inſiſtere*, declaravit, *quia non ſolùm ad pietatem propius conducit, ſed etiam quod videatur ſententia magis Theologica.* Hæc cum ego omnia notâſſem & diſtinxiſſem, *approbantibus tum tribus meis collegis*, in illo candorem requiro, qui mihi hoc abſolutè tribuit, quod non ſolum *primam ſententiam ſcriptis publicis impugnaverim, ſed etiam judicaverim à Synodo fuiſſe* DAMNATAM, quod nec verum eſt, nec mihi unquam in mentem venit. Nec certè in *rejectionum articulis*, vel in Synodi actis, de illa *damnatione* quicquam apparet.

Epiſtola

2.

Epiſtola Veterani & Celebris Theologi, N. N.

Vir venerande, Theologe eximie, & facilè ſupra omnes qui nunc vivunt celeberrime.

ANte menſem unum vel alterum D. D. Medicus N. N. qui apud nos degit, Rev. tuæ Theſes doctiſſimas, de Prædeſtinationis divinæ hominum Objecto, mihî tuo tradidit nomine. Suſpicabar me antea Rev. tuæ ignotum, & tuum hunc inexſpectatum favorem atque amorem mei gratiſſimo exoſculatus ſum animo. Inaudiveram jam antea varia de his theſibus, pro variis doctorum atque indoctorum Iudiciis, quibus ſolent plerique res incognitas vilipendere atque rejicere. Legi equidem omnia atque expendi animo attento, & pio atque confirmato judicio adfirmare poſſum, omnia omnimodè ex meo eſſe palato. Idem enim quod defendiſti ſtrenuè, jam à puero didiceram ex libris clariſſimorum noſtrorum Theologorum, qui præ

cæteris, impiis Pelagianorum erroribus funditus adversati sunt. Verum quidem fateor hanc quæstionem, à nullo Theologorum nostrorum, imò ne in ipsa Synodo Nationali tam exactè definitam esse; sed nihilominus fundamenta hujus jam antea clarè jacta fuêre à magno Calvino, Beza, Piscatore, aliis: ita ut meritò ægrè tulerim, Rev. Tuæ hac de re tantam motam esse molestiam ab iis quos pro sua vocatione neutiquàm decebat. multo certè decentius, atque magis Christianè egissent, si fraternis atque amicis collationibus de veritate eruenda laborâssent, quàm seculari brachio & authoritate politica Rev. Tuæ pias meditationes in ipso, quod ajunt, partu suffocâssent. Devorabit hanc injuriam, ut multas alias Rev. Tua, confisa divina ista benedictione illis addicta, qui zelante Zelo & Dei supremi gloriam, & æternam filiorum ejus bonam spem æternamque gratiam viriliter defendunt. plura nunc non addo quia ad alia vocor. interea si Rev. Tuæ postmodum placuerit paulo familiarius de istac materia mecum conferre, reperiet me non iniquum, Dictorum Ecclesiæ luminum, arbitrum & judicem.

cem. Nunc hoc unum Rev. Tuam rogo atque obtestor seriò, ut causam disciplinæ Ecclesiasticæ, pro tuo solito Zelo, unà cùm venerando collega D. D. Altingio in Ecclesiarum nostrarum bonum tueris & vindices fortiter. erit hoc omnibus piis gratum, Deo gloriosum, Ecclesiis Christi proficuum. Deus interea Rev. Tuam diu sospitet incolumem, & laboribus tuis sanctis affatim benedicat. Dabam raptim hac sexta die Decembris 1640 St. Vet.

Reverentiæ Tuæ addictissimus in Domino Frater
N. N.

Inscriptio.

Viro eximio, Theologo celeberrimo, Patri venerando, D.D. Francisco Gomaro Doctori & Professori primario in alma Academia Groningana.

Groningam.

3.

V. CL. Francisco Gomaro Ger. Io. Vossius S. P. D.

IAm anni sunt triginta, quod Leidâ excurrebas Dordrechtum ad rem ercifcun-

dam inter heredes Junianos. Eo tempore memini tibi, præſente me, ſermonem fuiſſe cum Rev. & doctiſſimo compatre meo Jo. Becio de Permiſſionis natura: tum mecum, & ſatis diligenter, de Prædeſtinationis Objecto. Fluctuabat eo tempore nonnihil animus meus in hoc difficili argumento. Perſiſtebam in ea ſententia, quam à præceptoribus, præcipuè ſocero Junio, teque, acceperam; in qua etiam multum firmabat, non indiligens B. Auguſtini & Proſperi, aliorumque authoritas. Sed imprimis aliquot S. Scripturæ loca impenſius mihi favere viſa ſunt ſententiæ illi, quâ Prædeſtinatio creditur fide & perſeverantia prior; non prævia ejus conditio. Sic cum affectus forem, non ſatis tamen videbam, quomodo eluctarer è quibuſdam, ſi vulgatiorem de Prædeſtinationis Objecto ſententiam ſequerer. Commodè, ſic, Deo volente, evênit, ut, quemadmodum dixi, Dordrechtum venires, ac pluſculos illic hæreres dies. Ibi demum mentem tuam, quam aliqui mihi referre potius tentârant, quam expoſuerant, aſſequi cœpi: nec poſtea deſerui. Ita mihi viſum ſolidè occurri iſtis, quæ objectari viderem, ſcrupulumque

que

que animo injecerant meo. Gaudebam etiam, quod viderem, utcunque B. Augustinus, Prosper, & qui eampse sententiam profiterentur, non iisdem vocabulis uterentur, idem tamen voluisse, nisi pugnare eos secum velimus: quod cur statuamus, causæ nihil videbam. Quin planè æquum censebam, ut quales nobis lectores exoptamus, tales nos præstemus tum junioribus tum antiquis. Interea subinde mihi cum hominibus eruditis sermo de hoc argumento fuit. Sed paucos reperi, qui satis caperent mentem tuam, *D. Wallæo* & præterea uno altero exceptis. Ac profectò metuo, ne plerique ex iis, qui proximè sic adversati, nondum percipiant satis, quid voles: magisque ex suis hypothesibus judicium, quàm tuis, ferant. Parum alioqui credibile est, illos adeò durè asperéque acturos adversus te, cujus sententia non uno nomine mitior est, & gravioribus subnixa argumentis: utcunque vulgo longè aliter feratur. Eo laudabilior fuerit opera, si per otium fusius aliquanto theses tuas diducas, vel thesium singulis aliqua subdas, quæ lucem afferant. Omnino enim altera sententia non receptior modò, sed simpli-

cior, iis ſaltem, qui, ut ait ille, numero philoſophari, vel θεολογεῖν potius amant. Nam homini acutiori, ſi penitius rem omnem introſpicere volet, non obſcurum fiet, longè ſolidius, ſic Objectum ſtatuendo tecum, occurri iſtis, quæ adverſus illam ſententiam afferebantur à doct. Arminio. Quanquam verò ſic exiſtimo, non levi te affectum injuria, imò eo graviori, quo ætas ingraveſcit magis: tamen multa cenſeo fratribus condonanda, propter communem ſervatorem Chriſtum, qui quid nos docuerit de remittendo, neminem fugit: tum autem propter ſponſam ejus Eccleſiam, quàm abundè laceram ulterius ſcindi miſerum ſit. Malim arma converti in Romanam Eccleſiam, & illos, qui S. Trinitatis dogma, & Chriſti ſatisfactionem tanto ſtudio impugnant. Quæ omnia infinitis partibus melius me intelligis. Et tamen perſtat animus, ut aliquanto, melius non dixero, ſed aliquanto tamen talium captui, quibuscum eſt negotium, accommodatius, hoc tractes argumentum. Non ignoro ætatem & occupatiſſimum vitæ genus, ſed ſubactum, cum in aliis, tum præcipuè, infelicitate temporum, in hoc argumento

mento judicium, magnopere imminuet illum laborem. Nec si Deus ad meliorem evocârit vitam, quod ut serum sit, exopto, alterum repertum iri existimem, qui tuam te melius sententiam exponat. In quo quantacunque sit modestia tua, facile te mihi assensurum puto. Non defuturus Typographus, vel his locis. Et omnino expedit, sciant omnes, sententiam tuam non repugnare confessioni Belgicæ: quin (ut ego quidem semper istam hactenus cepi) illam potius illustrare, dogmaque acutioribus alioquin horridiusculum, mitigare, ac mollire mirandum in modum; utcunq; nonnullis vel obtusioris pectoris, vel præjudicio laborantibus, prima facie aliter videatur. Nempe non attendunt, à confessione electionem attendi per modum executionis, à te, ordine naturæ, per intentionis modum. Dissimulare interim non possum, quid his diebus amicus, vir doctus, dixerit de hoc negotio, non improbari quod eam sequaris sententiam, sed quod adversantes damnes. Quasi diceret, succenseri non ob falsitatem doctrinæ, sed ob acrimoniam censuræ. Equidem scio, id in Romana Ecclesia observari, ut in his dis-

cri-

crimen faciant, quomodo damnaretur in ea, qui Thomiſtarum damnaret opinionem de B. Virgine in peccato Originali concepta. Quomodo item ſcis bulla Pontificiâ damnatum Michaëlem Bajum, non quia ejus ſententia id mereretur, ſed quia improbari nollent aliorum opinionem. In Baji dogmatis erat, *Pelagii eſſe errorem, poſſe peccatum vitari ſolis viribus naturæ*: & quædam alia ejuſce generis. Hoc aliorum quoque è Pontificiis quorundam judicium eſt; qui tamen damnatos ſe cum Bajo negant. Nempe quia non aliorum opinionem condemnent. Sic illam Pii V. & Gregorii XV. bullam intelligere jubent Toletus, Suarez, alii. Sed quid iſta adverſus te, qui non hæreſeos accuſes diſſentientes, uti Bajus, qui diſſentientes ajebat cum Pelagio hæretico ſentire? Quomodo modeſtius poteras diſſentire, quàm iſto modo, quo ſcribis? Sed ſic dum me diffundo, nonnihil otio abutor meo, magis tuo. Quare hic ſiſto, &c.

Amſtelodami CIↃ IↃC XL. x Kal. Octob.

Inſcriptio:

Reverendo & undecunque doctiſſimo clariſſimoque Franciſco Gomaro, S. Theo-

lo-

logiæ Doctori ac Professori in inclyta Academia quæ est *Groninga.*

Quoniam verò Clar. Gomarus in *Vltimis* suis *Verbis* ad Libelli cujusdam Germanici, D. Amesii, D. Macovii & D. Tvvissi testimonia provocat: ea etiam (ut res clarior sit) hîc exhibenda censuimus.

Außführlicher Bericht/was die Reformierte Kirchen in Deutschland gläuben/oder nicht gläuben/ &c.

pag. 349. & seqq.

ES wird auch gewöhnlich hieher gezogen die Disputation von dem fall vnserer Ersten eltern: vnd gefragt/ Ob solcher fall von ewigkeit zuvor von Gott versehen vnd beschlossen worden sey / daß er fürgehen solte: Vnd ob er demnach also habe fürgehen müssen.

Nu were es wol besser / daß wir vns beyderseits darumb bekümmerten/ wie wir auß dem leidigen Fall herauß kommen möchten / als daß wir viel disputieren / wie wir hinein kommen seyn. Aber gleichwol / damit wir nichts verhelen / so bekennen wir rund / daß wir nit gläuben/ daß Gott den mensche / nur auf ein ungefährlich geratewol erschaffen habe: Sondern

dern wir haltens dar für/daß Gott ehe vnd zuvor er den menschen erschaffen habe/ alles wol bedacht habe/ nicht alleine/ wie er jhn erschaffen / sondern auch / wie er ihn regieren / vnd was er auß ihm machen / oder welcher gestalt er ihn zu seinen ehren brauchen wolte. Denn so Gott auch für die Sperlinge/ deren man zweene vmb einen pfenning kauft/also sorget/ daß keiner ohn seinen willen kan auf die erden fallen Matt.10,29. Wie viel mehr wird er für den menschen / den er zu seinem ebenbild erschaffen hat / von anbegin also gesorget haben / daß jhm nichts hat wiederfahren können ohne seinen Willen?

1. Pet. 1, 20. Matth. 20,16. Eph. 1. 3,4,5, 6,7, 8, 9, 10. Rom, 20.22. 23.

So lesen wir auch außtrucklich in der Heiligen Schrift/ daß jhm Gott von ewigkeit her seine dispositiō oder ordnung bey sich selbst gemacht habe / wie er mit dem gefallenen menschlichen geschlechte handeln wolle. Wie daß er nemlich jhnen seinen Sohn zum Mitler geben / vnd viel auß jhnen zu jhm bekehren / vnd an denen sein gnad vnd barmhertzigkeit / an den anderen aber seinen gerechten Zorn wieder de Sünde beweisen wolte.

Wie können wir dann zweifeln/ daß er auch den Fal zu verhengen von ewigkeit jhm fürgesetzt vnd bey sich beschlossen habe: Ja daß er

eben

eben vmb der gemachten Disposition vnd Ordnung willen / die er in der regierung deß menschlichen geschlechtes halten wolte/dasselbe menschliche geschlecht erschaffen habe/denn eß ist vnmüglich / daß Gott nit den Zweck erreichen solte / den er jhm in erschaffung deß menschlichen geschlechtes hat fürgesetzt: oder er müßte nit ein allmächtiger Gott seyn. So darf man nu nit viel grübeln vnd nachforschen in dem verborgenen Rath Gottes / was er darinne von erschaffung vnd regierung deß menschlichen geschlechts von ewigkeit beschlossen habe. Der Außgang zeigets klärlich genug an: wen wir nur so demütig weren/ daß wir vns von Gott meistern liessen / vnd nicht Jhn zu meisteren begerten.

Creatio medium subordinatum ad finem.

Claris-

Clarissimus Virum D. Gul. Amesium in hac fuisse sententia; cum ex aliis ejus scriptis, tum ex Medulla, Cap. de Prædestinatione & ex illustri, quod D. Twissi vindiciis præposuit, testimonio manifestum est.

D. Ioh. Macovvius Collegio disput. de Prædestinatione, disputatione 17.

STatuimus Objectum Prædestinationis, aliud esse ratione finis, prout consideratur in intentione & aliud prout consideratur in ordine ad executionem. Ratione finis prout consideratur in intentione, dicimus hominum genus esse, ut Deo factu possibile. hoc ut intelligatur, paucis, antequam hoc probaverimus, explicabimus. Deus antequam decrevisset condere hæc, quæ condidit, scivit hæc omnia sibi possibilia fuisse, & proinde scivit & humanum genus sibi possibibile factu fuisse; sed & hæc scivit, si hominem conditurus fuisset in integritate, justitia & sanctitate & permissurus fuisset eundem labi, ipsum lapsurum fuisse, & occasionem hoc modò sibi

ſibi offerendam fuiſſe juſtitiæ ſuæ punientis declarandæ in quibuſdam, & ſimul miſericordiæ in quibuſdam; Voluit autem hos fines, ac proinde etiam decrevit hominem condere, conditũ in integritate, in lapſum permittere, & lapſos quoſdam in lapſu relinquere, quoſdam his nihilo meliores è lapſu liberare; & illos perdere, hos verò ſalvare.

Hoc verò ita eſſe hinc oſtendo. 1. Ratione finis, prout conſideratur in intentione eſſe genus humanum ut Deo poſſibile Objectũ Prædeſtinationis. Si Deus decreviſſet aliquid condere, antequam apud ipſum de fine ſtatutum eſſet, tum certè decreviſſet aliquid facere nullo fine: at hoc abſurdum, nam ſapientis non eſt neſcire quare quid agat. Prius ergò apud ſe ſtatutum habuit de fine, quàm res condere decrevit.

Rurſus ſi Deus finem prius decernebat (utimur his vocibus non ad denotandam prioritatem, aut poſteritatem temporis, ſed ordinis.) quàm decernebat rerum futuritionem. Ergo decernebat finem aut de nihilo, aut de rebus factu poſſibilibus. Non prius: nam nihil aut non entis fi-

G nis

nis nullus est. Ergo posterius.

Sed ne videamur novi quid afferre, rem autoritate firmemus. sentit ergo nobiscum Clarissimus *D. Gomarus* disputat. 34. de Prædestinatione Thesi 23. Verba ejus hæc sunt, &c.

Totum verò hoc argumentum eruditè ac prolixè tractavit vir doctiss. *Gul. Tvvissus Anglus*, in lib. Vindic. Grat. contra *Arminium* prò *G. Perkinso*, digressionibus decem, libri primi, de Præstinatione, ubi inter alia

Pag. 37.

AGnosco esse Theologos, qui de Objecto Prædestinationis, Sitne *massa* nondum condita, an tantùm condita, an etiam corrupta, non idem sentiunt; sed Ecclesias, ab Ecclesiis hoc apice dissentire nondum intellexi, imo hactenus nunquam factum est schisma hujus ergo, nec unquam factum iri confido.

Pag.

Pag. 55.

Nostri Theologi licet de Objecto Prædestinationis dissidentes inter se, junctis tamen studiis & unanimi consensu contendunt in asserenda prærogativa, tam potestatis divinæ, quàm gratiæ divinæ.

Ibidem.

Levissima illa de Objecto Prædestinationis dissensio nunquam hactenus in nervum erupit, aut schismatis alicujus faciendi materiam aut occasionem præbuit, sed semper in hunc usque diem citra Christianæ charitatis & fraternæ communionis jacturam processit: nec omnino dubito, quin in æternum processura sit sine ullo charitatis detrimento, &c. Quæ lectu dignissima.

Pag. 56.

Contra-Remonstrantes, dissensionibus de Objecto Prædestinationis nihil obstantibus, in Consessu Dordraceno, amicè conspirârunt, ad Arminiana dogmata anathemati subjicienda.

Ibid.

Vllum, ex istâ sententiarum diversita-

te, schisma inter Contra-Remonstrantes exortum esse, ne Remonstrantes quidem ausi sunt ipsis exprobrare.

& pag. 59. Edit. Gul. Blaeu.

PEr quæ pervenit Deus & sine quibus pervenire non potest, ad fines suos in Prædestinatione præfixos, ea statuenda sunt media Prædestinationis, respectu finium illorum, quos intendit Deus:

At per creationem & lapsus permissionem pervenit Deus, etiam sine illis pervenire non potest, ad fines suos in Prædestinatione præfixos. Ergo creatio & lapsus permissio reputanda sunt media ad consequendos fines in Prædestinatione præstitutos. — Minorem sic confirmo. Finis in Prædestinationis negotio, quem intendit Deus, est manifestatio suæ misericordiæ & justitiæ, ad quem sine creatione & lapsus permissione perveniri non potest; per creationem verò lapsusque permissionem actu pervenitur. Ergo creatio & lapsus permissio statuenda sunt media, ad fines in prædestinatione, à Deo sibi præfixos: & consequenter prius intendit Deus patefactionem suæ misericordiæ & justitiæ,

tiæ, in hominibus aliis atque aliis, quàm intendit eorum creationem & lapsus permissionem. Et per consequens, cum intendebat patefactionem harum proprietatum, nondum consideravit hominem, aut ut lapsum, aut ut conditum.

Ibidem.

Si permissio lapsus Adæ fuit effectus Prædestinationis, tum Objectum Prædestinationis non fuit massa corrupta. At permissio lapsus Adæ fuit effectus prædestinationis. Ergo Objectum Prædestinationis non fuit massa corrupta, &c.

Pag. 60.

Si Deus in hunc finem permisit peccatum Adæ, ut ita via strueretur patefaciendæ suæ misericordiæ & justitiæ, tum prius intendebat patefactiones harum proprietatum, quàm intendebat permissionem peccati. (Nam intentio finis, semper prior est intentione mediorum) At Deus in hunc finem permisit peccatum Adæ, &c.

Digress. 3. *cap.* 1. *pag.* 72.

Decretum de mediis non potest esse

prius decreto de fine, ad quem media illa ordinantur: hoc admittit omnis ratio tam erudita, quàm vulgaris; at decretum de peccato permittendo est decretum de mediis, decretum verò de illustranda gloria divina, per modum misericordiæ & *justitiæ*, est decretum de fine, &c.

Pag. 73.

Hinc quivis videat sententiam istam, de decreto creationis præstruendo decreto prædestinationis constare non posse, sine manifesta, principii testatissimi, nempe de ordine rerum agendarum quoad *intentionem* & executionem inverso, violatione.

Pag. 78.

Mihi sic videtur; sententiam scilicet de massa nondum condita Prædestinationi præstruenda, manifesta veritate constare.

Digress. 8. *pag.* 121.

Object.

Synodus Dordracena Canone 7. electionem sic definit: Electio est immutabile propositum Dei, quo ante jacta mundi fundamenta, ex universo genere humano,

no, certum numerum hominum, non quidem meliorum aut digniorum, sed in communi cum aliis miseriâ jacentium & ex originali justitia, propria ipsorum culpa, prolapsorum in peccatum & corruptionem, secundum liberum beneplacitum voluntatis suæ, ex mera gratia, elegit ad salutem in Christo.

Resp. Nihil prorsus occurrit in universa ista electionis definitione, quod non ambabus ulnis amplectimur. Hinc enim tantùm sequitur peccatum & corruptionem præcurrere saluti, electioni verò ad salutem præcurrere nulla legitima illatione colligitur. Certissimum enim est præcurrere non posse, nisi ut prævisam & à Deo, consideratam; prævisionis verò aut considerationis istius, nulla uspiam, in his verbis vestigia conspiciuntur.

Decrevit Deus quosdam homines in Adamo lapsos, salvos facere; hoc verissimum esse judicamus. Sed non minus verum & hoc, decrevit Deus omnes verè credentes in Christum & resipiscentes salvos facere. Verùm sicut ex posteriori non sequitur, prævisionem fidei & resipiscentiæ; ita neque ex priori prævisionem lapsus

psus in Adamo, præstruendam esse decreto salvando. In utroque sequitur, tam fidem & resipiscentiam, quàm lapsum in Adamo, præcedaneam esse saluti, idque secundùm rerum naturam, non modò secundùm prævisionem; sed considerationem horum omnium & singulorum præmissam fuisse destinationi ad salutem, nulla legitima ratione conficitur.

ATque hæc Testimonia tantæ authoritatis & tam certa esse putamus; ut inde cuivis veritatis & pacis studioso planè constare possit, *D. Gomari*, aliorumque qui cum ipso sentiunt, sententiam, in Synodo Dordracena non esse condemnatam: alienumque esse commentum, quod olim *D. Gomaro* objectum etiam nunc quibusdam placet, à Synodo illi mandatum, ut suam de Objecto Prædestinationis doctrinam *premeret in sinu, non promeret publicè*: & Clariss. Theologum planè *σκιαμαχεῖν*, adversariosque, magna Ecclesiæ Reformatæ lumina, grandi præjudicio onerare, quum *Apologiam* se pro Synodo Dordracena scribere fingit.

Verun-

VEruntamen ut magis etiam liqueat, sententiam *D. Gomari* de Objecto Prædestinationis in Synodo non fuisse condemnatam, argumenta, quibus id quàm clarissimè probatur, in unum quasi fasciculum, ut omnium oculis pateant, breviter colligemus.

Primum suggerunt celeberrimi illi viri, qui ipsimet Synodo, interfuêre: quorum literas & testimonia, quibus id planissimè testantur, jam exhibuimus.

Secundum sumitus ex Synodi silentio. Si namque sententia ista, uti Apologista vult, tam peregrina est, ut *Scripturæ, rectæ rationi* & *Antiquitati sit contraria, lapisque offensionis* ad quem tam multi impegissent, nullas certè rationes satis graves Synodus habuit, cur in ullius mortalium gratiam, tam periculosæ sententiæ condemnationem reticere debuisset. Et quomodo, quæsumus, tam absentes, quàm posteri scire potuissent, rem ita se habere, circa Prædestinationis sententiam; nisi id ipsum publico committerent, sicuti publicè statuissent?

Tertiò: Quæ sententia *salva fidei & cha-*

ritatis compage tolerari potest, illa in *Synodo tam sanctâ, augustâ, & bene ordinatâ*, condemnata non est. Quod manifestum est, non solùm ex Orthodoxorum in ejusmodi rebus perpetua praxi: sed etiam ex fine, quem Synodus spectavit: nempe condemnare ea doctrinæ capita, quæ in Ecclesiis Belgicis, maximâ cum earundem perturbatione, disceptata fuerant. Uti liquet ex præfat. Actorum Synodi. Atqui sententia Gomari de Objecto Prædestinationis *salva fidei & charitatis compage* tolerari potest. Quod disertè fatetur ipsemet

Clariss. Theologus Apologiæ pro Syn. Dordracena, pag. 148. *Vnde perspicuum omnino est, eam in Synodo condemnatam non esse.*

Quartò: Quibus Canonibus ipse *D. Gomarus* & plures alii, qui cum ipso sentiebant, subscripsit, illi non definiunt Objectum Prædestinationis, cum exclusione, quasi altius adscendere non liceat. Aliàs enim dissensum suum indicâsset: sicuti antea fecerat, quum à Theologis Belgicis Objectum proprium definitum fuit. Vti liquet ex Actis Sess. 107. Omnibus verò satis constat, *D. Gomarum*, aliosque qui in

eadem

eadem cum ipso erant sententia, singulis Synodi articulis, sine ullo scrupulo subscripsisse. quod, aut contra conscientiam, aut cum tacito aliquo mentis effugio fecisse, cogitare explorata τῦ μακαρίτυ pietas non permittit. Imo quum anno 1640. Groningæ & Omlandiæ Ordinibus, occasione Disputationis *D. Gomari, de Objecto Prædestinationis*, quod eam Synodo repugnare, à quibusdam, illis persuasum esset, mandare visum est, ut omnes tam Professorea, quàm Pastores Synodi doctrinæ de novo subscriberent, promitterentque nihil ab illius placitis diversum docturos; sine ulla id tergiversatione fecit *D. Gomarus*, Ordinumque mandato hæc verba sermone vernaculo subscripsit:

Alsoo ick Doctor Franciscus Gomarus, **'tgene by de E. E. H. H. Staten belast wordt / tot noch hebbe onderhouden/ soo belove ick oock het selve voortaen te onderhouden.**

Vnde manifestum est, sine summa tanti & tam orthodoxi Theologi infamia statui non pôsse, sententiam eam, quam sequebatur & ad extremum usque vitæ halitũ constan-

stanter professus est, in Synodo Dordracenâ condemnatam esse.

Quinto: Quomodo eadem Synodus sententiam *D. Gomari* de loco Eph. 1. 4. Quam vide in Disp. de *Objecto Prædestinationis* Thesi 3, 4, 5, 6, 7. accuratam judicavit, uti in Actis sess. 63. dicitur, & tamen eandem, definitione alterius Objecti, condemnavit?

Sexto deinde loco, ipsa Synodus noluit descendere ad duriorum quarundam locutionum, quæ in nonnullis Reformatorum scriptis reperiuntur, rejectionem: idque ideo ne pariter damnare videretur doctrinam orthodoxam, quam viri illi professi essent, sess. 132. Illos autem qui durioribus ejusmodi phrasibus interdum usi sunt, maximam partem cum *D. Gomaro* sentire certum est: & liquet ex citatione Remonstrantium in sua Synodo, in defensione circa primum de Prædestinatione articulum. Quomodo ergo credibile est Synodum ipsam illorum Doctorum, de Prædestinatione, doctrinam condemnasse?

Septimo. Hæc de Objecto Prædestinationis sententia, post habitam Synodum, in diversis Belgii Academiis, Groningæ,

Fra-

Franekeræ, Ultrajecti, à publicis Professoribus publicè fuit proposita & defensa. Quam in Synodo condemnatam nemo dicere potest, nisi simul Orthodoxos illos Theologos gravis criminis reos faciat: ut qui manus suæ subscriptione, nihil se contra Synodi decreta docturos promiserant.

Quibus addi potest, eandem doctrinam ab aliis etiam iisque Orthodoxis Theologis, extra Belgium, traditam esse. Inter eos sunt, Clariss. Theologus *Ioh. Prideauxius* ex regio Professore electus *Exoniensis Episcopus*, qui hac de re agit in Prælectionibus suis, lect. 1. de absoluto Dei decreto p. 231 Guliel. Tvvissus in lib. *Vindic. Gratiæ*, unde supra testimonia adduximus. *Paulus Baynesius*, genuinus *Perkinsii* discipulus in commentario ad cap. 1. Eph. quem ex Anglicâ lingua in Belgicam transtulit *Iohan. Lamotius* Ecclesiæ Hagiensis minister, ejusque hæredes A°. 1628. illustribus ac potentibus Ordinum Hollandiæ delegatis obtulerunt. Vbi hanc ipsam sententiam à p. 209. ad 229. tum κατασκευαστικῶς tum ἀνασκευαστικῶς prolixè tractat.

Octavò, illud etiam non leve firmandæ nostræ sententiæ argumentum videtur, quod

quod multi insignes, ex nostris, Theologi, dissidentes de Objecto Prædestinationis sententias conciliare laborârint. Inter quos fuit magnus ille *Spanhemius*, cujus immaturum obitum etiam nunc & meritò quidem luget Academia & Ecclesia Leidensis, imò universa, Disput. de *Prædestinatione*, habita Genevæ 1641. item Clariss. *Iacobus Revius* S. S. Theolog. Doctor & Colleg. Theol. Perillustr. & Præpot. Ord. Holl. ac West-Fris. Regens in Disp. Theol. octava, quæ de divina Electione habita, die 18. Martij 1643. ubi pro conciliatione Thes. 11. sic loquitur: *Altera sententia sumit electionem restrictius pro decreto misericordiæ exercendæ circa hominem lapsum. licet decretum de condendo homine & permittendo ejus lapsu non neget, sed aliò, quàm ad electionem pertinere statuat. Prout vicissim prior sententia decretum eligendi hominem ex lapsu non inficiatur, sed ut partem electionis tantùm admittit, non verò ut totam. Vtraque verò in eo consentit, quod homines Deo eligenti & reprobanti objiciant* pares & æquales, *ita ut eorum discretio non à Prædestinatis, sed à Prædestinante sit: atque ita à Pelagianismo qu m longissimè absunt.*

Imò

Imò ipſemet Clariſſ. Altingius L.C. parte Probl. de Prædeſt. Prob. XV. Si non fallunt manuſcripta exemplaria (nam in impreſſis nunc aliter habetur) unde hæc olim verba deſcripſimus. *Si comparentur hæ ſenſentiæ* (de Objecto ſcil. Prædeſtinationis) *ſciendum, quod ſit vera quidem diverſitas: prima enim Prædeſtinationi præponit prævisionem lapſus; altera poſtponit. Sed non eſt* diverſitas rei & veritatis, *ſed tantum in ordine: quod ordinem alius hoc, alius alio modo proponit. Ergo mea quidem ſententiâ nemini puto eſſe movendam litem.*

At hic conciliationis labor, non inutilis tantùm eſſet, ſed etiam perverſus & reprehenſione dignus, ſi Synodus alteram ſententiam condemnâſſet.

IX. Quid quod ipſi Remonſtrantes agnoſcunt, non condemnatam fuiſſe in Synodo *D. Gomari* ſententiam. Ita quippe loquuntur in ſua Apologia fol. 63. *Cenſor pro Calvino dicturus duas proponit ſententias, unam, quæ ſtatuit Objectum Prædeſtinationis, maſſam generis humani incorruptam: alteram quæ ſtatuit maſſam corruptam*, &c. Et dein fol. eod. verſo ſub finem: *Atque hinc etiam eſt, quod in Synodo Dordracena,*

non

non modò non sint ex Orthodoxarum catalogo expuncti, qui horrenda ista primæ sententiæ placita se tenere profitentur; uti Piscator, Maccovius aliique, sed etiam inter Orthodoxos censitus D. Gomarus, quanquam protestatione publicâ se primæ sententiæ adhærere significabat. Hæc illi. Sic *Stephanus Curcellæus* in libello nuper edito, *Quod ad Dordracenam, inquit, Synodum attinet; verum quidem est eam, in Canonibus suis, ab Adami lapsu reprobationem ordiri: sed cum nullibi eos qui altius ascendunt damnet, credibile non est illorum sententiam seriò ipsi displicuisse.* Et paulò post pag. 109. *Hanc fuisse Synodi Dordracenæ mentem ex eo colligitur, quod aliquot ex præcipuis ejus membris supralapsariorum sententiæ fuerunt addicti, & eam ibidem propugnârunt, nec tamen eo nomine sunt reprehensi. Talis fuit Festus Hommius, Franciscus Gomarus, Balth. Lydius & Gisbertus Voetius. Isti omnes Synodi Dordracenæ decretis subscripserunt: quod procul dubio non fecissent, si sententiam suam supra citatis conclusionis verbis damnari credidissent. Et cum multi post istam Synodum, tam in Belgio, quàm aliis in locis, ubi recepta est, supralapsariorum opinionem publicis scriptis & concionibus defen-*

fenderint; nunquam tamen auditum fuit, quenquam illorum, eam ob causam, vel minima censurâ fuisse notatum. Quod sanè non leve indicium est, eam judicatam non fuisse Dordracenis placitis adversari.

X. Si Synodus sententiam *Gomari*, eorumque qui cum illo sentiunt, condemnâsset; fecisset præter scopum, quem intendit; qui fuit, ut de controversiis inter nostros & Arminianos judicaret: non verò ut de sententia inter nostros disputabili & tolerabili, inter se cõmitteretur. Quod quum Synodo tribuere alienum sit, satis patet hanc de Objecto Prædestinationis sententiam non esse in eâ condemnatam.

XI. Denique provocamus hîc ad classium liberi Belgii praxin in examinibus candidatorum S. S. Theologiæ: in quibus rarissima controversiæ de Objecto Prædestinationis, quæ inter nostros Theologos est, ratio habetur. Si quando ea de re quæstio à præside proponitur, licet candidatis, eam, ut problematicam declinare: aut variè etiam ad eam respondere. Quod manifesto indicio est, ejus controversiæ in Synodo Dordracena, decisionem, Ecclesiæ Belgicæ Pastoribus, non tam certò lique-

re, quàm Cl. Apologista persuadere conatur.

Apologiæ pro Francisco Gomaro, Pars Tertia.

Quæ est responsio ad eam Apologiæ pro Syn. Dord. partem, ubi Gomari errores, aut paradoxa notantur.

Controversiam ipsam de Objecto Prædestinationis, quam Apologista operosè tractat, non attingimus. Quamvis enim in sententia *D. Gomari* nos esse profiteamur: eam tamen cum præceptore nostro, pro tali habemus, in qua salvâ fidei & charitatis compage dissentire liceat. Hoc tantùm nunc restat, ut magnum virum, ab iis erroribus & paradoxis, quorum illum accusat Clarisſ. Theologus Apolog. pro Synod. Dord. parte 1. p. 36. & 37. liberemus.

Sic autem ratione quinta, ad quæstionem primam loquitur.

Nec statim censeri debet contumeliosus Viro Magno, qui v.g. *aut*

I. *cum Capello ad ejus* Lyram *non saltet, aut*

II. *cum*

II. *cum* Riveto *aliud quàm ipse statuat de Sabbathi origine,*

III *vel ei non assentiatur asserenti genuflexionem ad nomen Christi cujus fit mentio,* Phil. 11,9. *non necessario supremam* adorationem *denotare, ad cap.* 1. *Ioh. pag.* 83. (Scribe 283.) *col.* 1. *licet inde nostri divinitatem Christi contra Socinianos comprobent;*

IV. *Item Iudam Iscariotem non fuisse participem Cœnæ Dominicæ, ad cap.* 13. *Ioh. p.* 1. *pag.* 470. *Contra quam statuunt non solum Augustinus, Calvinus, Martyr, & plerique è nostris, sed etiam ipsa Catechesis Gall. Eccles. Dom. ult.*

V. *Item duplicem dari justificationem primam & secundam, cùm tamen unicam contra Pontificios defendamus;*

VI. *Et* ingenuè *profitendum, probari non posse è scriptura fidem unquam metonymicè sumi pro justitia Christi fide apprehensa p.* 2. *pag.* 536. *col.* 2. *Licet ipse hoc posterius statuat, ad cap.* 3. *Gal. p.* 2. *pag.* 166. *col.* 2.

VII. *Item non fiduciam remissionis peccatorum, sed* charitatem *esse formam fidei p.* 1. *pag.* 129. *col.* 2. *quod est dogma,*

H 2 *sal-*

saltem ut exprimitur, Pontificiorum à nostris communi consensu rejectum: Nemo sanus à Professore Theologiæ extorquere volet, ut hæc & similia paradoxa viri aliàs celeberrimi, quæ hinc inde in ejus operibus occurrere video, debeat tueri in illius honorem. Quod si in his potuit cæspitare, aut saltem incommodius loqui, cur idem non potuerit ei obvenisse circa Objectum Prædestinationis? Hæc ille.

Indigna profectò charitatis & veritatis expers censura, quam vivus in mortuum, discipulus in præceptorem, successor in antecessorem stringit. Nam aut paradoxa non sunt, quæ ullam notam mereantur: aut τῷ μακαρίτῃ contra exsertam illius doctrinam affinguntur.

I. Quid enim, in *Lyra Davidis*, erroris periculosi, aut paradoxi? nonnullos verò cum Capello ad eam non saltare, mirum non est: quum nec omnes ad cujusvis galli cantum surgant. Deinde Capelli censuræ accuratam magni Constantini ἐπίκρισιν, & illustre summi *Danielis* encomium opponimus. Denique si συγγνώμη τῷ πρωτοπείρῳ ex veteri verbo: non scommate hoc, sed

sua

suâ laude nobis dignus videtur *D. Gomarus*, qui primus hanc Hebræorum artem poëticam tentavit.

II. Quod ad controversiam de Origine Sabbathi attinet: ea est hujusmodi, *ut pii & eruditi homines, quasi in bivio constituti, in diversas sententias, servatâ fidei compage declinârint*; uti ipsemet Gomarus loquitur pag. 317. tom. 3. & quamvis venerandus *Rivetus* de ea aliud statuat: eà tamen controversia, *integro & fidei & amicitiæ vinculo* (quemadmodum tom. 3. pag. 372. iterum loquitur *Gomarus*) inter eos agitata est.

III. Tertio loco ceu gravem errorem & prævaricationem cum acerbissimis Ecclesiæ hostibus Socinianis objicit, τ̃ μακαρίτην asserere genuflexionem in nomine Christi, cujus fit mentio Phil. 2, 9. non necessario supremam adorationem denotare. Qui verò ea, quæ clariss. *Gomarus*, loco citato de genuflexione in nomine Jesu & adoratione Christi disserit, attentè legerit, cum iisque contulerit ea, quæ in Epistolam ad Philip. commentatur, meritò hîc in Professore Theologo candorem Christianum nobiscum desiderabit. Ipsemet enim *Go-*

marus ex illo *Pauli* loco divinitatem Christi probat, & argumentum ab adoratione Christi ductum in ipsum *Socinum* retorquet, hoc modo: *Is qui à Deo Patre jubetur adorari, est verus ille Deus: solus enim verus Deus adorandus, eique religiosè serviendum. Matth. 4. & gloriam suam alteri non tribuit, Esa. 42.*

Atqui Deus Pater Christum jubet adorari Heb. 1. & (nota) *Philip. 2. Ergo Christus est verus ille Deus.*

Et in ipso Commentario in Epist. ad Philip. part. 2, pag. 194. col. 1. sub finem: *Finis* (inquit) *illius* (nempe donationis nominis supra omne nomen) *statuitur cultus divinus, à creaturis, geminus: adoratio & confessio. Prior* genuflexione (nota) *metonymicè indicatur.*

Et pag. 200. Consectario ex hoc loco: *Cum solus Deus sit adorandus, Matt. 4. & Christo is honor conveniat: ergo est verus Deus.*

Ipsa tamen phrasis, *flectere genu in alicujus nomine*, propriè latius patet. quod negari non potest, & hoc vult & dicit *D. Gomarus*, ut occurrat *Socino*, qui ex illo Pauli loco probare conatur, Christum, quatenus ho-

homo est, adorari. Nihilo tamen minus, non nostri tantum, quod dicit Censor, sed etiam ipsemet *Gomarus*, quod jam demonstravimus, ex illo loco divinitatem Christi contra *Socinianos* comprobat.

IV. De Juda Iscariote quod objicit; Si utriusque sententiæ argumenta, ad trutinam non autoritatis humanæ, sed veritatis divinæ & solidæ rationis expendantur, dissensus hic ab *Augustino, Calvino*, aliisque in controversiâ Problematicâ, *D. Gomaro*. vitio non vertetur.

Deinde ipsemet Calvinus, in Harmonia, probabile tantum, dicit Judam adfuisse. Sic enim loquitur, ad illa verba Lucæ: *Veruntamen ecce manus*, &c. Etsi peracta demum cœna hoc Christi dictum Lucas subjicit, „ non potest tamen inde certo colligi tem- „ poris series, quam scimus sæpe ab Euan- „ gelistis negligi, *Probabile* tamen esse *non* „ *nego*, Judam adfuisse, quum corporis & „ sanguinis sui Symbola Christus suis dis- „ tribueret.

Denique si à magno Calvino dissentit Gomarus; habet assentientem venerabilem Bezam. Cujus verba hic adscribere visum fuit. Sic autem in notis majoribus ad Joh. 13, 30. loquitur:

„ Statim exivit] Quum igitur non nisi „ mensis secundis sublatis Dominus sa„ crosancta sua mysteria instituerit, ut di„ serte ait Lucas cap. 22, 20. & Iohannes „ non contentus dixisse, Judam accepta „ offula exiisse, diserte etiam addat Ad„ verbium εὐθέως, *certa videtur esse eorum* „ *sententia*; qui existimant Judam insti„ tuendæ S. Cœnæ non interfuisse: & „ quod sic narrat Lucas c. 22. 21. quasi „ demum peracta S. Cœnæ institutione „ dixerit Dominus, *Ecce manus ejus qui me* „ *prodit, mecum est in mensa*, esse ex aliis „ Euangelistis explicandum, ex quibus li„ quet habitum hunc fuisse sermonem, „ ante Cœnæ Sacræ institutionem, quæ „ fuit ultima hujus convivii clausula.

V. Quinto loco objicit censor, Gomarum asserere, *duplicem dari justificationem, cum tamen unam contra Pontificios defendamus*. Pro hominum fidem! ubi est candor Christianus? Gomarum accusat quasi cum Pontificiis primam & secundam justificationem statuat: cum tamen contrarium ille non uno loco solicite doceat.

Ut tom. 2. pag. 366. col. 2. Pontificii „ acutiores (inquit) ajunt: Paulum lo-

qui

qui de justificatione prima, seu injusti „
qua quis ex injusto fit justus: quæ ex gra- „
tia, per solam fidem contingat: Jaco- „
bum verò agere de justificatione secun- „
da, seu justi, quâ is justior fit, operum „
merito. *Sed falsa est hæc distinctio*, ut Pau- „
lus ostendet Rom. 3,28. Rom. 4,2.3.6.

Et tom. 3. pag. 114. disput. contra errores Pontificiorum de Justificat. ubi „
Thesi 3. de Pontificiis sic loquitur: Præ- „
stituta *Justificationis*, in *primam* & *secundam*, distributione, *primã* exponunt, qua „
homo impius, seu nondum regenera- „
tus, infusione justitiæ, primùm fit pius; „
&c. Thes. IV. *contra Orthodoxi docent*, „
justificationem hoc modo, in sanctifica- „
tionem, seu regenerationem (à qua in „
Dei verbo, ut diversum beneficium, di- „
stinguitur) perversè commutari. Et „
Thesi XVII. Ad *secundam justificationem* quod attinet, pari erroris progressu „
eam describunt, esse hominis prius justi- „
ficati, qua justus justificatur adhuc, seu „
ex justo fit justior, justitiæ inhæren- „
tis incremento. Concil. Trid. &c. „
Thes. XVIII. Hujus justificationis cau- „
sam efficientem, merito suo, docent esse „

„ opera fidei, ſpei, charitatis &c. Eaque
„ hominem juſtificare meritoriè, ut lo-
„ quuntur: quod augmentum juſtitiæ
„ promereatur. Concil. Trid. &c. Theſ.
„ XIX. *Contra Orthodoxi* eam ſententiam,
„ perfectioni, è diametro repugnantem,
„ merito refutant.

Verum eſt, Gomarum tom. 2. pag. 536. col. 2. (unde fortaſſis reprehenſionis & cenſuræ hujus occaſio arrepta eſt) primam & ſecundam Iuſtificationem ſtatue-
„ re; ſic enim loquitur: Porrò cum juſti-
„ ficatio alia ſit injuſti: alia juſtificati & ju-
„ ſti: quarum illa *prima* dicitur; quâ quis
„ in ſe omnino injuſtus & nondum juſtifi-
„ catus coram Deo, per fidem in Chri-
„ ſtum, juſtus cenſetur: hæc verò *ſecunda*,
„ quæ prioris continuatio eſt, quâ *juſtus*
„ juſtificatur adhuc. Non de prima hic
„ locus (Gen. 15. 1, 2. *& ſeq.*) accipiendus
„ eſt, quâ Abraham primum fide donatus,
„ Dei promiſſiones amplexus eſt, &c. hoc
„ enim longè anteceſſit Heb. 11. ſed de ſe-
„ cunda, qua per fidei exercitium, Deo in
„ illuſtri Euangelii promiſſione repoſita
„ credidit, eique continuata eſt imputatio
„ ad juſtitiam. Nam cum antea ſuam er-

ga

ga promissiones Dei fidem abundè satis „
esset testatus Abrahamus, obedientia „
sua, qua patriam relinqueret, Heb. 11.8. „
Deumque sacrificijs coluerat: inde, „
satis apparet, agi hîc, non de prima, sed, „
de secunda justificatione.

Verum (inquimus) est, Gomarum primæ & secundæ justificationis meminisse: sed quàm longè à sensu & errore Pontificio absit, nō locus tantùm jam adductus satis evincit: sed ipsemet Gomarus, ibidem paginâ mox sequente, col. 2. perspicuè declarat, his verbis: Ex quare confutantur „
Pontificii qui diversam justificationis „
causam statuunt, in prima justificatione „
& secunda: cum docent primam fieri „
fide tantùm, sed secundam operibus: „
cum contra Abrahami jam fidelis, & „
antea justificati, justificatio evincit, u- „
num & eundem esse justificationis mo- „
dum, per fidem, non tanquam justitiam „
nostram, ut perperam Pontificii con- „
tendunt, sed ut causam instrumentalem „
illius in Christo obtinendæ.

Deinde non solus est de nostris Theologis Fr. Gomarus, qui primam & secundam justificationem, sensu non Pontificio,
sed

sed Orthodoxo statuit. Vide prolixam Doctiss. Viri D. Ludovici de Dieu dissertationem, in Comment. in Epist. ad Rom. Cap. 8. à pag. 101. ad pag. 110.

Quemadmodum verò indignum meritò judicamus, hunc Theologum, qui se Dei & Ecclesiæ hostibus tam acriter opposuit, in aliis Heterodoxias suspectum reddi: ita nihil indignius videtur, eundem impuritatis alicujus accusari, in hoc tam fundamentali articulo; quem tanto zelo non contra Pontificios tantùm & Remonstrantes vindicavit: sed eos etiam, qui materiam & formam justificationis indignè mutilârunt.

VI. Sextò objicitur, Gomarum uno loco dicere, ingenuè profitendum, probari non posse è scriptura, *fidem* unquam metonymicè sumi pro justitia Christi fide apprehensa, nempe p. 2. pag. 536. col. 2. & tamen eundem altero loco (parte scil. 2. pag. 166. col. 2.) hoc posterius statuere.

Iam prævidebamus rigidos *Operis Gomariani* censores fore, acutissimè in aliorum vitiis cernentes, in quos illud Venusini poetæ quadret,

Cum tua pervideas oculis mala lippus inunctis;

Cur

Cur in amicorum vitiis tam cernis acutum,
Quàm aut aquila, aut serpens Epidaurius?

Quibus occurrere conati sumus præfatione nostrâ. Ubi lectorem monuimus, *Si loca quædam Scripturæ, aut etiam res ipsæ, diversis locis aliter atq; aliter explicari videcentur, illud cogitandum esse, nec simul nata esse hæc opera, nec ab autore recognita: sed ita à nobis edi, ut in autographis reperta sunt.* Cujus si æquitatis meminisset hic Theologus, non hanc ἐναντίωσιν, aut potius hoc ἐναντιοφανὲς D. Gomaro quasi σφάλμα intolerabile objecisset. maximè cùm nihil hîc sit periculi, nec quidquam incommodi, præsertim si uterque, qui citatur, locus æquo animo conferatur. At hic censor ne minimum quidem in tam pulchro corpore nævum excusat.

VII. Denique τὸν μακαρίτην prævaricationis cum Pontificiis iterum insimulat, cum dicit, illum asserere, *non fiduciam remissionis peccatorum, sed charitatem esse formam fidei p. 1. pag. 129. col. 2. Idque esse dogma, saltem ut exprimitur, Pontificiorum à nostris communi consensu rejectum.*

Ve-

Verum in his verbis, iniqua est omnino & utroque indigna censura: uti fidem faciet, ipse locus qui citatur. Ubi quidem affirmat, formam vivæ fidei non esse propriè fiduciam obtentæ remissionis peccatorum: quod copiosè probat in Appendice ad Epist. Heb. Charitatem autem esse formam fidei nequaquam dicit, sed reipsa negat, quum docet sæpiusque inculcat, fidei vivæ formam & quidem specialem esse, *Charitatis esse effectivum*. Hæc autem duo *charitas ipsa* & *charitatis esse effectivum*, quàm diversa sint, Logicorum nôrunt filii, qui inter prima artis suæ rudimenta discunt, effectum nunquam esse sui causam, nec causam unquam sui effectum.

Præterea in *disputatione de fide salvificâ*, Thesi 34. inter communia ac remota fidei effecta *Charitatem* ponit. qua ratione satis manifestè indicat, formam fidei nequaquam esse. Denique disertè hoc negat, „ quum Pontificiis tribuit, p. 2. pag. 536. „ col. 1. ubi sic loquitur: Pontificii, ut ju„ stitia inhærente nos justificari asserunt; ita „ duas illius partes proponunt, fidem tan„ quam justitiæ initium, & *Charitatem*, „ *quam fidei justificantis formam ponunt*, tan„ quam complementum.

At

At *saltem ita exprimitur.* ubi verò, quo loco, qua pagina, quibus verbis? certè totâ illâ, quæ citatur, paginâ ita non exprimitur, ut censor dicit, nec usquam alibi in toto opere.

Atque hæc sunt, in quibus Gomarum cæspitâsse, aut saltem incommodius locutum esse dicit. Quæ ne quis levia aut parvi momenti existimaret, talia esse clamat, *quorum defensionem nemo sanus à Professore Theologo extorquere velit.* Nec sufficit hæc speciminis loco proposuisse, quin omnia Franc. Gomari opera, super multis aliis similibus erratis, *quæ hinc inde in illis occurrere* ait, suspecta reddat. Nos verò habemus, quod piis magni viri manibus gratulemur, hactenus hunc censorem, quamvis animo reprehendendi κρίσιν exerceat, nihil quidquam, ex toto illius opere, protulisse, quod ulla cum specie vel veritatis, vel ponderis, culpari queat. Vt merito ad gravem illam Christi admonitionem, Matt. 7, 1. *& seqq.* relegandus videatur.

FINIS.

ERRATA.

Pag. 1. l. à fine 5. φιλομαθῶν. p. 3. l. 7. *confutari*. p. 5. l. 12. post, *imbecillam*, adde, *esse*. p. 16. l. 1. *quasvis*. p. 35. l. 9. *antecedentis*. p. 47. l. à fine 3. *scientia* & post *sua*, adde, *lumine*. p. 53. l. 13. *fuisset*. p. 55. l. 9. à fine, *imitatione*. p. 57. l. 9. post *conscribendorum*, adde *cura*. p. 72, l. 11. pro *non*, lege, *enim*. Ibid. l. à fine 7. post *extra* adde *&*, p. 73. l. 5. pro *non* lege *enim*.